Mensura membrorum rhythmica cum metrica comparatur.

Exempla petuntur ex Ouidi Metamorphoseon libris.

HANC THESIN

FACVLTATI LITTERARVM PARISIACAE AD DOCTORVM HONORES OBTINENDOS

PROPOSVIT

RAYMOND CAHEN

PARIS

LIBRAIRIE PAUL GEUTHNER

68, RUE MAZARINE

—

1910

Mensura membrorum rhythmica
cum
metrica comparatur.

Exempla petuntur ex Ouidi
Metamorphoseon libris.

Mensura membrorum rhythmica
cum
metrica comparatur.

Exempla petuntur ex Ouidi Metamorphoseon libris.

HANC THESIN

FACVLTATI LITTERARVM PARISIACAE AD DOCTORVM HONORES OBTINENDOS

PROPOSVIT

RAYMOND CAHEN

PARIS

LIBRAIRIE PAUL GEUTHNER

68, RUE MAZARINE

—

1910

VIRO DOCTISSIMO

F. PLESSIS

GRATI REVERENTISQVE ANIMI

TESTIMONIVM

HOC

DEDICAVIT

R. C.

PARS I

—

PROOEMIVM

QVAE SIT RHYTHMICA MENSVRA, QVAE METRICA

Cum totus hic libellus de metrica quam dicimus mensura et de rhythmica sit conscriptus, necesse est initium fiat nobis disquisitionis huius explicantibus quae metrica sit mensura, quae rhythmica; neque enim haec uerba qui legunt aliunde nouerunt, neque e uerbis ipsis significationem facile exprimere possunt.

Omnis autem definitio facilius intelligitur, si rei eius, de qua agitur, imaginem prius oculis proposuisti, quam uerborum quasi carceribus complectare. Exemplum sit igitur pars quaeuis orationis alicuius, dum non sit soluta, sed uincta carminum legibus, cuius modi sunt quae Ouidius scripsit in Metamorphoseon libris :

Neue preces animos et uerba precantia flectant,
Posse loqui eripitur : uox iracunda minaxque
Plenaque terroris rauco de gutture fertur.

(II, 482-484)

Quam uerborum comprehensionem quicumque auribus percipit, e tribus quasi membris constare sentit, quorum primum primi uersus spatium totum, secundum prius tantum secundi uersus hemistichium occupat, tertium autem inde ab his uerbis quae sunt *uox iracunda* in alteram secundi uersus partem et in totum tertium porrigitur. Sed haec membrorum diuisio non tantam habet utilitatem, ut numerorum, qui in hoc uerborum circuitu perspiciuntur, ratio inde uniuersa perpendi possit ; numeri enim, qui et prosae orationi et uersibus plurimum conferunt uenustatis, non penitus intelliguntur, nisi quis membra non tantum separauerit, sed etiam in mensuram accuratam et subtilem redegerit. Cuius mensurae opus in hoc quod proposuimus exemplo nunc est nobis suscipiendum.

Igitur si primi membri quod est

Neue preces animos et uerba precantia flectant

longitudinem metiri uolo, primus hic succurrit metiendi modus, ut omnia syllabarum spatia uel breuia uel longa et dinumerem et in unum colligam, quod facillime fieri potest. Nam cum longam syllabam tantum ualere constet quantum duae breues, nihil obstat quominus longae syllabae una cum breuibus, quamuis sint diuersae, numerentur, dum breuis omnis syllaba pro parte una, longa omnis pro duobus partibus ponatur. Quam ad computandi rationem si primum illud comprehensionis membrum refertur, breuitatum

numerus inuenitur 9, longitudinum 7, partium autem cunctarum 9 et 14, id est 23. In quo eam quidem syllabam, quae est in fine uersus posita, pro breui habere statuimus ; neue in hoc offendatur, hanc ultimae syllabae ambiguitatem suo loco in disputationem uenire iam nunc nuntiamus, quamquam nemo est quin intelligat, non in numeris ipsis, sed in numerorum colligendorum comparandorumque ratione omnem uim quaestionis esse positam.

Ceteris uero membris si eamdem aestimationem adhibeas, eodem metiendi modo uti possis, numeros autem in metiendo non eosdem reperias. Nam quod secundum tenet locum

Posse loqui eripitur

breuium spatia habet 4, longarum 3, cum huius uerbi quod est *loqui* secunda syllaba elisionem patiatur, et cum sequenti in unam conueniat, unde fit partium uniuersarum, in breuibus simplicium, in longis duplicium, summa 10. In tertio autem membro aestimando ne multis uerborum ambagibus impediare, consideranti statim apparet partes contineri 36, quae paulo sunt plures, quam reperiantur in superioribus, si alterum alteri addatur.

Hic igitur in syllabis positus est metiendi modus. Omnis autem uersus non e syllabis tantum constat uel breuibus uel longis, sed etiam ex iis quas metrici arsin et thesin uocauerunt. In quibus tantum est momenti,

ut ex iis et pedum singulorum distinctionem et totius uersus naturam pendere iure existimetur. Nam ut exemplum ex anapaestico et dactylico uersu ducamus, cum in illum eosdem pedes inserere sit concessum, qui in hoc inueniuntur, dactylum spondeumque, uix ulla nonnumquam diuersitas amborum perciperetur, nisi quae ex arsi thesique nascitur, ut in dactylo iisque pedibus qui pro dactylo ponantur pars prior, in anapaesto pars altera, plus ponderis habeat. Porro in singulis uersibus, uel dactylicis, uel anapaesticis, uel iambicis, uel trochaicis, quod eodem semper pedis loco arsis thesisque poni debent, hoc totius uersus compages ab auribus comprehendi potest : hac enim iteratione concinnitateque, et pedis cuiusque naturam finesque dignoscimus et cunctos pedes, cum sua quisque arsi emineat et distinguatur, facile in unum quasi corpus, quo fit uersus, componimus.

Quae cum sit in arsi thesique utilitas, non dubium quin ii, qui uersus audirent, earum diuersam naturam et alternas uices in animo haberent. Nostrae autem disquisitioni ad finem suum perducendae satisfecimus, si arsin thesinque ab auribus mentibusque audientium notari demonstrauimus. Nam qui uel legebant uersus uel in scaena agebant, quatenus quibusque artificiis arsis thesisque diuersitatem audientibus manifestam facerent, illud neque per se magni refert, dummodo eos, qui audirent, perceptionem earum comprehensionemque satis certam habuisse constet, neque

nobis nunc inuestigare uacat, neque omnino penitus illustrari possit, quibus uniuersa metrorum ratio atque fundamentum a Latinis abhorreat.

Quod si illa omnia, quae et in pedibus singulis et in membris et in uersibus ab auribus audientium percipiuntur, colligimus atque recognoscimus, iam non syllabae tantum inueniuntur, sed eae etiam, quas arsin thesinque uocauimus. Cum autem nullam nobis rem, quae sub aurium iudicium ueniat, neglegere sit concessum, in metiendis membris necesse est arsin thesinque respiciamus. Has igitur res in quaestionem nostram recipiamus, nomina uero reiciamus. Quibus multum inest ob has duas causas incommoditatis, ut primo, quam Latini arsin, eamdem Graeci thesin nominauerint, unde ambiguitas nonnulla his uocibus inhaereat, deinde ut ex iis neutra integro ciuitatis iure a Romanis sit donata, sed paucis tantummodo earum casibus latine loquentibus uti liceat. Nobis autem cum saepius de his rebus mentio sit facienda, cauendum est, ne uerba quae sunt arsis et thesis impedimentum ferant. Itaque quam arsin adhuc uocauimus, ea iam uel ictus uel percussio nominabitur.

Thesis uero, quae est pars pedis debilior siue obscurior, ea propter hoc ipsum nullo alio nomine eget. Nam cum uersus cuiusuis pars aliqua recitatur, ut est

Pos'se loqui e'ripitur'

pars pedum prior, quae ictum habet, intentione qua-

dam si non uocis, at certe mentis, fit insignis, altera autem extenuatur et neglegitur. Quare in hoc exemplo, quod supra descripsimus, percussioni cuique signum quoddam apposuimus, quo clarius oculis emineret, alteri pedis parti nullum, idemque omnes illi facere solent, qui de re metrica scribentes, uersus legentibus ideo proponunt, ut metrorum naturam explicent.

Sed ad mensuram membrorum, quod maxime opus suscepimus, reuertamur. Nam pedes cum non syllabas tantum contineant, sed etiam arsin thesinque, fit procul dubio ex arsi thesique quidam metiendi modus. Arsis uero uel ictus uel percussio cum aures maiore intentione commoueat, thesis autem obscuretur et quasi ad nihilum redigatur, necesse est in illa sit omnis haec metiendi ratio posita.

Itaque sicut syllabarum spatia, quae sunt in membro uel breuia uel longa, et dinumerari et in unum colligi possunt, quod supra demonstrauimus, ut ex eorum summa fiat mensura quaedam membri et aestimatio, sic percussiones ipsae et singulae perpenduntur et cunctae in unum numerum colliguntur, qui numerus et aestimationem membro, quo percussiones continentur, et cum aliis membris comparationem praebet. Illud enim, quo iam exemplo usi sumus,

Pos'se loqui e'ripitur'

si ad syllabarum mensuram refertur, numerum partium

habet, sicut diximus, 10, quo longitudo eius quodammodo definitur. Sin autem percussionum rationem habemus, longitudinis aestimatio numero fit 3, quod tres reperiuntur in membro percussiones. In ceteris uero membris, quae supra (p. 1) ab Ouidio descripsimus, quae sunt primum comprehensionis et ultimum, eadem mensura uti possumus, ut computatis percussionibus numerus longitudini imponatur primae 6, ultimae 9.

Illud etiam est in percussionibus notandum, quod facilius quodammodo et ab auribus audientium et a legentium oculis aestimantur quam syllabae. Nam cum percussionum sit unum tantum genus atque modus, unamquamque earum statim ut percepisti, iam iis uniuersis, quas collectas habes, addere licet. Syllabarum autem sunt genera duo, quae non in unum numerum unamque summam colligere poteris, nisi prius et quaeque syllaba quantum ualeat obseruaueris, et longas diuidendo duplicandoque breuibus similes reddideris.

Habet igitur omne cuiusuis carminis membrum mensuras duas, alteram in syllabis positam, alteram in percussionibus. Quas postquam descripsimus, nomina etiam demus quam breuissima necesse est. Nomina autem illa elegimus, quae in ipso huius libelli titulo leguntur, metricam uocantes eam mensuram quae fit percussionibus, rhythmicam quae fit syllabis. Etenim nulla est Latina oratio siue prosa siue uersibus inclusa, quae non e syllabis uel breuibus uel longis constet ; quem autem

rhythmum uel latino nomine numerum uocamus, ipse ille in omni oratione inuenitur ; hoc est igitur syllabis cum hac uniuersa rhythmi notione commune, quod in nulla oratione desunt. Quare ipsa nos rerum natura admonet, ut nomen huic mensurae, quae est in syllabis, ex ipso rhythmo sumptum conferamus. Sed quemadmodum syllabae cum rhythmo, ita percussiones cum metro quasi cohaerent. Nam quod metrum uocatur, id nusquam inuenitur nisi in carminibus ; carmina autem sola, non prosa, pedes percussionesque continuas, ut ita dicam, habent, quae sunt ipsius metri fundamenta ; non est igitur absurdum, si quam syllabis cum rhythmo nominum coniunctionem fecimus, eamdem percussionibus cum metro imponimus.

Equidem haec nomina nullam prorsus reprehensionem capere minime contendo. In quibus illud primo ab anxiis censoribus reprehendi possit, quod ab hac ipsa mensura, quae fit percussionibus, quamque metricam diximus, rhythmi nomen non omnino sit alienum. Nam cum rhythmus uel numerus nominetur omnis concinnitas, siue haec liberior quam in prosa etiam percipere nos iuuat, siue illa subtilior qua carmina adornantur, ideo haec ipsa percussionum consecutio, unde fit metrum, in rhythmo sicut ciuitas in prouincia uel species in genere continetur. Nihil est igitur metricum, quod non naturam rhythmi habeat, nomen habere possit. Sed ut e specie et genere non incusationis modo cuiusdam, sed defensionis etiam

argumentum ducamus, alio in genere nomine, alio in specie uti, semper fuit concessum atque necessarium, nedum absurdum esse uideatur ; genus autem, id est rhythmum, in syllabis maxime, speciem, id est metrum, in percussionibus esse positum nemo negabit, unde rei utrique id nomen, quod melius conuenit, imposuimus.

Neue illud alterum nomen rhythmicae mensurae, quae fit syllabis, omni culpa uacet, deprehenduntur in iis etiam syllabis, quae sunt in soluta oratione, pedes quidam, quaeque a pedibus omnino abesse non possunt, percussiones. Nam apud eos, qui de solutae orationis numeris scripserunt, eorumdem pedum, e quibus uersus constant, mentio saepius inuenitur, trochaeorum, dactylorum, creticorum, ditrochaeorum, paeonum. Itaque in syllabas uniuersas metrorum nomen non iniuria transferri possit. Sed quanto aptius in uersibus et in iis pedibus percussionibusque, quae sunt uersuum, ponitur. Quippe sunt quidem pedes in prosa oratione, sed diuersi et ut ita dicam fracti uariantur semper, neque inter se cohaerent ; sunt ictus, sed quae fieri potest eius, qui est dactyli, cum sequenti cretico uel paeone comparatio ? Nusquam uero nisi in carminibus inuenitur perpetua illa eiusdem pedis repetitio et arcta uinctaque concinnitas, perpetuus ille percussionum post aequalia interualla reditus. Igitur ex iis dumtaxat pedibus, iis percussionibus, quae in uersibus percipiuntur, hoc quod est proprie metrum constat,

ideoque hanc nominum partitionem iure effecisse uidemur, ut nullis pedibus percussionibusque, nisi continuis, ut sunt uersus, metrorum attribuatur nomen.

Iam duobus mensuris, quibus omne membrum omnisque uersus aestimatur, alteri in percussionibus alteri in syllabis positae, et definitiones et nomina sua dedimus ; natura nunc est earum inuestiganda. Quam quidem uniuersam in hanc disquisitionem includere, cum syllabis pedibusque percussionibusque et oratio paene tota contineatur, et omnis certe non metrorum tantum sed omnino numerorum componendorum copia et ratio comparetur, id neque uiribus nostris, neque huius libelli breuitati accommodatum est opus. Ex qua rerum silua nihil nisi summa quaedam delibantes, totum illum maiorem librum, qui simul cum hoc editur, conscripsimus. Sed praesenti labori hunc terminum finemque ponimus, ut ea tantummodo membra colligamus et perpendamus, ubi metricae rhythmicaeque mensurae discrepantia quaedam et quasi discidium deprehenditur.

Quae autem mensurarum discidia fieri possint, ex iis exemplis, quae supra proposuimus, minime manifestum est. Neque enim syllabarum dinumeratio a percussionibus, neque percussionum a syllabis pendet. Nam cum illud membrum

Pos'se loqui e'ripitur'

metimur, si brevium longarumque syllabarum spatia

in unam summam colligimus, nullum omnino habemus percussionum respectum, quae si abessent, nihilo difficilior syllabarum aestimatio fieret; itidem si tres quae sunt in membro percussiones, in unum numerum componuntur, ad hanc summam faciendam nihil opus est syllabis. Itaque cum numeri, quibus utraque mensura conficitur, syllabarum 10 percussionum 3, diuersam prorsus habeant et originem et significationem, nihil iis inesse posse uidetur, neque commune, quo inter se comparentur, neque diuersum, quo discrepent.

Ita fit ut haec disputatio non ultra procedere possit, nisi prius ipsam membrorum considerandorum rationem, qua adhuc usi sumus, acrius perpenderimus, et qualis sit, et num alia quadam nobis mutare liceat.

Etenim quae iam membrorum exempla proposita sunt, ea semper singula omissis ceteris aestimauimus. Quod si primum illius comprehensionis membrum, quod est

Neue preces animos et uerba precantia flectant

sub mensuram ueniebat, separabatur ab illo sequenti

Posse loqui eripitur

cuius eadem postea neglecto et primo et tertio aestimatio fiebat. Sed quicumque aliquem uerborum circuitum animo totum conspicit, is membra non singula modo perpendi posse animaduertit, sed quodque eorum cum sequenti tanta et rerum coniunctione et ipsius

audientium animi inclinatione quadam cohaerere, ut bina membra interse coniuncta subtilius quodammodo et accommodatius ab auribus percipiantur et examinentur. Nam primum membrum

> Neue preces animos...

si legentibus solum separatumque proponitur, tum suspensos animos et exspectatione quadam erectos tenet; sin autem cum sequenti iungitur, plenum iam nos quiddam perfectumque percipere sentimus. Quae membra postquam ita consociata sunt, fit ex iis una omni termino sublato uerborum sententiarumque compages, fit membrum unum, quo prior pars comprehensionis tota continetur,

> Neue preces animos...
> ...eripitur

Sed huic nouo membro eadem cum aliquo altero cohaerendi facultas, qua partes eius in unum conuenerant, nascitur, neque iam perfectum hoc existimamus, sed ad sequentia apprehendenda animum deflectimus, eoque modo ultimum etiam illud membrum

> uox iracunda minaxque
> Plenaque terroris rauco de gutture fertur

in obseruationem attrahitur, et exstat denique totum illud comprehensionis aedificium. Itaque in quauis oratione animus nunc plenitudine quadam occupatur,

nunc alia desiderat, iisque alternis uicibus fit uniuersae orationi tenor suus atque contextus.

Haec autem exempla, neque per se fortuna, neque industria quaedam nostra sic disposuit, ut semper alteri membro alterum respondeat, semper e singulis paria constent. Nulla est enim comprehensio, quamuis multa membra longaque complectatur, quae non ad hanc partium duarum distinctionem redigi possit, quae quidem postquam separatae sunt, ipsae etiam in duas diuiduntur ; itemque nihil est tam breuiter incisum, in quo non duae conglobatae partes esse uideantur. Cuius rei exempla proponere, cum in quauis cuiusuis libri pagina praesto sint, uix operae pretium est. Neque apud Latinos tantum exstitit haec orationis conformatio et norma, sed apud plurimos populos, ne dicam omnes, qui nunc sunt quique olim fuerunt. Nam cum mens nostra simplicissima quaeque et facillima affectet, partes autem in omni re, dum omnino sint, non pauciores quam duae esse possint, hanc diuidendi simplicitatem ex ipsa ingenii humani condicione natam intelligimus.

Inueniuntur quidem comprehensiones nonnullae et membra, quibus partes tres non duae continentur, ut apud Ouidium

> Tota fremit | uocesque refert | iteratque quod audit
> (Met. XII, 47.)

sed ea et non saepius et fere breuia. Quae ipsa in simili-

tudinem binorum membrorum facile contrahas, si mediam partem primo neglecta tertia cum prima conferas, hoc modo,

Tota fremit | uocesque refert

deinde neglecta prima cum tertia,

uocesque refert | iteratque quod audit

unde fit, ut et toti illi comprehensioni duae minores, et ternis membris bina succedant.

Verum si non singula membra, sed bina inter se coniuncta obseruantur, mensurae etiam membrorum, quas metricam rhythmicamque diximus, ita mutantur, ut aliquid iam commune habeant, quo comparari possint. Nam cum duo simul membra metimur, tum duplex fit syllabarum, duplex percussionum dinumeratio et summa, duo ponuntur in eamdem mensuram conficiendam numeri. Itaque illorum membrorum, quae sunt

To'ta fremit' | uoces'que refert'

cum in utroque duae contineantur percussiones, metrica mensura e duobus his numeris constat 2 et 2 ; rhythmica etiam numeros habet duo, sed eos pro partium summa, quae sunt in syllabis et breuibus et longis electos ; partes autem sunt in priore membro 6, in altero 8.

Quo in exemplo ipsa illa deprehenditur, quam quae-

rimus, comparandarum mensurarum ratio. Nam singulos quidem numeros, in quibus singulorum membrorum mensurae uersantur, quales sunt in priore membro et percussionum numerus 2, et partium numerus 6, eos prorsus diuersos et ab omni comparatione abhorrentes esse iam antea contendimus. Coniunctis uero binis membris, consociatis iis quibus aestimantur numeris, qui sunt in metrica mensura 2 et 2, in rhythmica 6 et 8, tum ita fit mensurarum comparatio quaedam, ut non quanti sint numeri singuli 2 et 2, 6 et 8, sed quali ratione atque modo bini cuiusque mensurae numeri inter se conueniant obseruemus. Itaque in hoc exemplo, comparabitur numerorum 2 et 2 aequalitas cum numerorum 6 et 8 inaequalitate, notabitur mensurarum ratio dispar et contraria.

Sunt igitur earum, quas metricam et rhythmicam mensuram uocauimus, comparationes et diuersitates quaedam, eaeque non summatim tantum attingendae, sed accuratius explicandae. Nam cum legentibus uersus uel audientibus, et syllabarum partes et percussiones clare distincteque percipiantur, in iis membris, quae sunt

Tota fremit | uocesque refert

aliisque similibus et aequalitas et inaequalitas auribus eodem tempore sese offerunt, et inter se quasi confligunt. Quod nisi quodam modo conciliatur, offendit. Sed Romanorum uersibus iucunditatis tantum quan-

tum nostris inesse existimandum; quod ut demonstremus, sunt membra, in quibus mensurae inter se differunt, colligenda, sunt eorum genera, natura, causae, perpendendae et explanandae.

Quae membra cum in Latinorum carminibus non ita pauca inueniantur, uidendum est, ne in maius quam suscipere decreuimus opus incurramus, sed ex omni exemplorum congerie certum definitumque numerum eligamus. Quo in numero haec tantum membra includemus, e quibus hexametri constant uersus; hi enim a Latinis et maxime frequentati sunt et optime perpoliti. Atque cum illae, de quibus disserimus, membrorum dispositiones comparationesque, non a cuiusque poetae arbitrio, sed ab ipsis metrorum numerorumque condicionibus pendeant, eadem apud omnes poetas inueniri membra necesse est, ideoque non a pluribus carminibus exempla mutuari statuimus, sed ab uno tantum, quod omnium loco ponere licebit. Id autem exemplum ex Ouidi Metamorphoseon libris propter hanc causam sumpsimus, quod nemo paene umquam maior exstitit componendorum uersuum artifex.

Permagna sit autem, etiam si in Ouidi poesi fines operae nostrae statuamus, exemplorum moles inuestiganda, e quibus plurima cum aliis quibusdam similia sint, plus laboris quam utilitatis promittunt. Quamobrem sunt ex his Ouidianis exemplis nonnulla quaedam in disputationem nostram retinenda, multa autem

dimittenda, quae quidem iam qua ratione separata exclusaque sint, breuiter explicabimus.

Sunt enim uniuersorum membrorum genera duo, prius eorum, e quibus plena absolutaque propositio, sicut grammatici dicunt, uel enuntiatio conficitur, qualia sunt illa omnia, quae supra descripsimus, siue hoc

Posse loqui eripitur

siue illud

Tota fremit

altero membra illa continentur, e quibus pars tantum constat propositionis, nec nisi cum aliis iuncta in perfectam sententiae uim terminationemque conformantur, ut

Iudicium [sanctique placet sententia montis]
(XI, 172.)

uel

A pecoris morsu [frondes defendite nostras]
(IX, 384.)

Quae sit autem propositio, si uerbis quam paucissimis expedire uelis, eam dicas, in qua et hoc maxime contineatur, quod grammatici proprio nomine uerbum appellant, et illa, siquidem opus sunt, quae cum uerbo coniuncta magis perspicuam efficiant significationem. Quamquam haec definitio neque ab omnibus probatur, neque si omnino recipiatur, ita ualet, ut etiam in singulis certam propositionum descriptionem distinctionemque praebeat. Sed nos ea, quamuis in nonnullis

reprehendi possit, esse contenti debemus, per quam et facile et in plurimis membris, sitne propositio dispicere liceat, praesertim cum neque hic sit concessum, pleniorem quamdam perfectioremque quaerentibus procul a proposito uagari, et in altero libro, de quo iam diximus, iis de membris, de quibus ambigatur, praecepta quaedam dare simus conati [1].

Illud tamen omnium sententia confirmatur, propositionum distinctionem definitionemque e uerbis ipsis, non e metris numerisque pendere, neque in metricorum, sed in grammaticorum manibus esse positam. Atque ex hoc ipso illa praebetur, quam quaerimus, separandorum et excludendorum exemplorum ratio.

Etenim si cuncta membra, quaecumque sub inuestigationem nostram propter diuersitatem mensurarum quamdam ueniunt, ita diuidas, ut haec, quibus tota quaedam contineatur propositio, ab illis, quae partem tantum propositionis impleant, segregentur, hos duo numeros simul et diuersos esse inter se et similes animaduertas. In hoc enim differunt, quod plenae absolutaeque propositiones, etsi non paucae, at pauciores multo sunt quam propositionum partes, illud autem commune, quod qui numeri rhythmique in propositionibus, iidem admodum in partibus propositionum percipi possunt. Similes enim dicas, siquidem rhythmo-

1. u. *Le Rythme poétique dans les Métamorphoses d'Ovide*, p. 108 et sqq.

rum metrorumque solum condicionem obserues, has quas antea descripsimus propositiones

> Pos'se loqui e'ripitur'
> To'ta fremit'

illis quae partes sunt propositionum

> A' pecoris' morsu'
> Iu'dicium'

Nunc autem ad comparandas inter se mensuras, quod maxime proposuimus, qualia quotque nobis exempla sint opus considera. Nam sicut omnia sunt arcessenda, quaecumque proprios habent peculiaresque numeros, ita maiorem eorum partem, quae sunt eiusdem rhythmi et numeri, neglegere licet, quoniam non plura e multis similibus, quam e paucis, documenta ducere uidemur. Itaque cum nulla sit in rhythmis aut metris perfectarum propositionum a propositionum partibus distinctio posita, ambarum autem satis multa exempla inueniantur, minime dubium est, omnes illas rhythmorum metrorumque dispositiones, quae in altero genere obseruentur, easdem ex altero posse cognosci. Quibus positis, comparatio mensurarum cum nobis omnis in rhythmis metrisque uersetur, eaque sit opera danda, ut omnes membrorum rhythmos, metra omnia, in inuestigationem trahamus, id satis effecisse putabimur, si alterum tantum genus, siue propositiones siue partes propositionum, non autem ambo, ad comparandas

mensuras obseruamus. Atque cum plures sint in eadem oratione partes quam propositiones, ideoque plus laboris, non plus utilitatis ferant, has retinere, illas omittere, satius est uisum.

Igitur ex his omnibus concluditur, satis certam locupletemque hanc de mensuris disputationem fieri, si uno uersu, id est hexametro, uno poemate, id est Ouidi Metamorphoseon libris, si iis tantum, quas perfectas diximus propositiones, contineas.

Verum ut hoc prooemium ad finem suum perducamus, nunc est breuiter explicandum, et quibus modis mensurae omnino inter se discrepare possint, et quae sint ex iis quasi discidiis accuratiore disputatione digna.

Primus est igitur differendi modus eorum membrorum, quae iam antea exemplis illustrauimus, qualia sunt

> Tota fremit | uocesque refert
>
> 1— ◡◡ 2— | ◡◡ 3— ◡◡ 4— [1]

in quo cum percussionum par sit in utroque membro numerus, qui est 2, partes autem syllabarum siue breuium siue longarum prius habeat 6, alterum 8, ea fit mensurarum diuersitas, ut percussionum aequalitas cum inaequalitate partium concurrat.

1. Qua in figura ceterisque similibus ea sunt animaduertenda, et recta linea | membra separari, et numeros poni pro percussionibus ita delectos, ut quo quaeque uersus initio propior sit, eo minore numero significetur

Alterum est genus huic et simile et diuersum, in quo membra uersantur illiusmodi

> Si qua tibi nurus est | si qua est tibi filia
>
> (VI, 39.)
>
> 1— ◡◡ 2— ◡◡ 3— | ◡◡ 4— ◡◡ 5— ◡◡

Ipsa enim figura demonstrat percussiones esse in priore membro 3, in altero 2, partes in utroque 10, ibique inaequalitatem in percussionibus, aequalitatem in partibus syllabarum, uel ut breuiore uerbo nominemus, syllabis, esse positam, id autem in hoc exemplo cum praecedenti congruere, quod aequalitas quaedam cum inaequalitate societur.

Nunc autem nouum quiddam diuersumque obseruemus, cuius exemplum est

> subit | hanc arcana profana
>
> Detexisse manu
>
> (II, 755-756.)
>
> ◡◡ | 4— ◡◡ 5— ◡◡ 6— ◡
>
> 1— ◡◡ 2— ◡◡ 3—

In quo prius membrum uerbo uno *subit* continetur, unde fit ut debiliorem tantum tertii dactyli partem occupet, nullumque sub ictum ueniat, alterum autem membrum ictus habet 6. Quod si comparatio fiat mensurarum, primo syllabarum, deinde percussionum, syllabas utriusque membri in certam quamdam definitamque summam colligere possis, quae est in priore membro partium 2, in secundo pro ancipiti ultimae syllabae condicione aut 21 aut 22 numeratur. Ictum

uero prius hoc membrum *subit* nullum habet, idque cum ad metricam etiam, quae est in percussionibus posita, mensuram redigere, et numero quodam suo comprehendere atque illustrare tentas, tum et euanescere quod numeras, et numeri ipsi quasi deficere uidentur. Haec est igitur eiusmodi membrorum diversitas, ut alterum duplici sit mensura, rhythmica et metrica, praeditum, alterum metrica mensura quodam modo careat. Atque mensurarum discidium non est his in aequalitate sicut supra et inaequalitate positum, sed ex hac membrorum condicione nascitur, quod in rhythmica potest utrumque aestimari et dinumerari, in metrica alterum est ab omni numero et quasi officio uacuum.

Haec autem percussionum syllabarumque discrepantia, de qua nunc disserimus, et facilius deprehenditur, quam illa altera, quae ab aequalitate et inaequalitate pendet, et artius est cum ipsis rerum definitionibus principiisque coniuncta. Etenim in illis membris, quae sunt

Tota fremit | uocesque refert

nulla omnino numerorum diuersitas obseruari potest, nisi ambo simul membra in comparationem trahuntur ; haec autem

subit | hanc arcana profana...

si qua sunt dispositione numerorum insignia, ea in priore maxime membro posita uidetur. Quo audito,

neglecto sequenti, ea iam auribus occurrit diuersitas, rhythmicam huic mensuram esse quamdam, metricam nullam. Adde huc quod aequalitas illa et inaequalitas eo denique tempore comparantur, cum quot sint ictus, quot syllabarum partes, numeramus ; haec autem mensurarum comparatio, in qua alter numerus exstat, alter uero nullus est, iam statim efficitur, cum sintne omnino et ictus et partes, quaerimus.

Quamobrem cum ea, quae in tertio genere posuimus exempla, ualde diuersa sint a ceteris, non eodem opusculo complecti statuimus. Accedit, cur neglegantur, altera quaedam causa, quod illa in iis mensurarum diuersitas ita facile soluitur, ut paucissimis uerbis expedire liceat. Hoc enim uerbum *subit* minimum habet et ad auris et ad mentis iudicium pondus ; quod cum ita breue sit, ita omni propria ui et significatione destitutum, ut uix in eo commorari libeat, id nullo modo percipitur, nisi cum aliis quibusdam, id est cum sequenti membro, coniunctum. Qua membrorum coniunctione tollitur et amborum comparatio et singulorum mensura, tollitur etiam illa, de qua diximus, mensurarum diuersitas, quae non nisi protractae in longum considerationis artificio quodam constiterat. Haec uero breuitas, qua alterum membrum cum altero cohaeret, cum et in hoc nostro exemplo facillime ab omnibus notetur, et in ceteris eadem prorsus inueniatur, unam tantum eiusmodi comprehensionem describere uisum est.

Verum dimisso eo, quod tertium diximus, genere, restant illa duo, de quibus disseramus, quorum exempla sunt

To[1]ta fremit[2] | uoces[3]que refert[4]
Si[1]qua tibi[2] nurus est[3] | si qua est[4] tibi fi[5]lia

alterum enim percussionum aequalitatem, inaequalitatem syllabarum habet, alteri in syllabis aequalitas, in percussionibus inaequalitas est posita. Omnis autem disputatio cum ita diuidatur, ut primo quid quaeratur explicemus, quae res inuestigandae sint describamus, deinde quibus quaeque causis exstet explanemus, huic quoque libello duae subicientur partes, prior exponendi euoluendique, secunda explanandi et soluendi. Quae quidem non aequali spatio contineri debent, sed haec altera maiore; quis enim neget, plus in rerum causis quam in ipsis rebus inesse et momenti et laboris, ideoque pluribus uerbis causas quam res ipsas egere? Praeterea pars operis quaeque ipsa in duas diuidetur, quia duo illa exemplorum genera separatim sunt in utraque seiunctimque tractanda. Quae omnia cum ita constent, nunc ad eam, quae est expositio uocata, procedamus.

PARS II

EXPOSITIO RERVM

—

CAPVT I

DE GENERE EXEMPLORVM PRIORE

Initium uidetur expositionis in iis membris faciendum, quae prioris esse generis diximus, et quibus aequalitas in percussionibus, inaequalitas in syllabis est posita. Sed amborum generum eadem fieri debet expositio, ut primo quae huiusmodi membra omnino componi possint, uniuersam hexametri naturam rhythmumque perpendentes inuestigemus, dein quae membra Ouidius ipse in Metamorphoseon libris usurpauerit exquiramus, denique ut singulos uersus, in quibus hae diuersitates mensurarum inueniuntur, nominemus atque ante oculos legentium quasi proferamus.

Quarum partium prima illa, cum uniuersum maxime genus respiciat, eam uim habet, ut non de quibusdam hexametris, sed de omnibus disserere uideamur;

e secunda cognoscimus, quod magni momenti est, quibus membris saepius poeta quidam, quibus rarius, quibus numquam uti uoluerit, in tertia autem exempla colliguntur atque describuntur illustrissima, de quibus et ipsi iudicare qui legunt, et nostrum de mensurarum discrepantiis iudicium aut reprehendere aut probare possint.

Hexametri uersus leges atque fundamenta, quamuis sint notissima, quia omnis in his rèbus opera nostra uersatur, quam paucissimis in memoriam legentium reuocare statuimus. Scilicet e duobus singuli partibus pedes constant, quorum alteram, quia percussionem uel ictum habet, magisque ualet ad occupandas aures, ualidiorem uocamus, alteram, quia debilitari quodammodo atque supprimi uidetur, debiliorem. Ictus semper in eadem pedis parte poni solent. Haec autem omnibus sunt uersibus communia; illa dactylicorum propria, quod ictus in priore pedis parte recipitur, quod partes ipsae pedum, cum prior ex una syllaba longa, altera ex una lònga aut duabus breuibus constet, aequalibus syllabarum spatiis continentur. Denique dactyli siue spondei sex unum uersum conficiunt, unde uersus nominatur hexameter : ultimus autem pes in hoc a ceteris differt, quod partem alteram uel debiliorem una tantum syllaba, eaque nullo habito discrimine uel longa uel breuis occupat. Quae quidem omnia in hanc unam figuram redegimus

1 — ⏖ 2 — ⏖ 3 — ⏖ 4 — ⏖ 5 — ⏖ 6 — ⏓

in qua signa pro longis syllabis ¯, pro breuibus ˘ ponuntur, pro percussionibus uero numeri, de quibus iam antea (p. 20) conuenit.

Itaque cum nunc sit uniuersum hexametri genus oculis auribusque illustratum, huius e syllabis percussionibusque membra quaedam inter se continentia componamus, experiamurque num umquam illa, de qua disserimus, mensurarum dispar condicio, aequalibus percussionum, inaequalibus syllabarum partiumque numeris, num saepius reperiri possit.

Initium autem fiet experientibus in iis membris, quae si simul comprehendas, ictus duos quosdam, syllabarum spatia quotquot et sub hos ictus et inter eos ueniunt contineant. Quorum exemplum ex ea uersus parte sumamus, quae et in secundum dactylum totum et in priorem tertii partem porrigitur, quaeque hac figura significatur

$$\overset{2}{-}\ \overline{\smile\smile}\ \overset{3}{-}$$

His igitur e percussionibus syllabisque duo sunt membra fingenda, quod tribus modis fieri potest; quae quidem non signis tantum paulo supra nominatis, sed propriis nostris uerbis illustrabimus, hoc modo

1)	$\overset{2}{-}\ \vert\ \overline{\smile\smile}\ \overset{3}{-}$	dant | legito
2)	$\overset{2}{-}\ \smile\ \vert\ \smile\ \overset{3}{-}$	redde | legunt
3)	$\overset{2}{-}\ \overline{\smile\smile}\ \vert\ \overset{3}{-}$	reddite | lex

Quae omnia metricam habent mensuram eamdem,

quia unus in unoquoque membro ictus continetur. Diuersa est ab hac syllabarum ratio, quae si breuium longarumque spatia, quae sunt in quoque membro, dinumeres, his constet numeris

1) 2/4 qui eadem inter se ratione distant qua 1 et 2
2) 3/3 » » » 1 et 1
3) 4/2 » » » 2 et 1

E tribus igitur membrorum comprehensionibus una tantum, quam secundam diximus, aequali syllabarum diuisione quasi iusto pondere libratur ; in ceteris alterum membrum ab altero duplici syllabarum mensura superatur.

Plures autem et maiores inuenimus inaequalitates, si membrorum spatia sic augemus, ut addita debiliore parte particulaue priori membro primi dactyli, alteri tertii, syllabarum uniuersa summa crescat, percussionum eadem, quae fuit ante, maneat. Unde coniunctorum membrorum pro illa figura

$$\overset{2}{-}\ \overline{\smile\smile}\ \overset{3}{-}$$

haec altera conficitur

$$(\smile)(\smile)\overset{2}{-}\ \overline{\smile\smile}\ \overset{3}{-}(\smile)(\smile)$$

ubi quae syllabarum spatia iam antea descriptis adduntur, uncis includimus.

Quae cum omnibus illis membrorum diuisionibus, quae supra numeris 1 et 2 et 3 illustratae sunt, pari iure aut unum aut duo aut tria aut quattuor apponi possint,

atque ita diuersa permultaque membra, diuersae permultaeque syllabarum summae conformentur, non autem diuersa sit conformandi ratio, has tantummodo membrorum compositiones quasi exempla quaedam legentibus proposuimus, quae ad illam quae prima fuit antea figura nominata

1)	$\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}$	dant legito

referuntur. Huiusmodi sunt illae nouem

1a)	$\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}$	dant | legito
1b)	$\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\,\smile$	dant | legitote
1c)	$\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\,\overline{\smile\smile}$	dant | legitoteque
1d)	$\smile\,\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}$	dabunt | legito
1e)	$\smile\,\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\,\smile$	dabunt | legitote
1f)	$\smile\,\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\,\overline{\smile\smile}$	dabunt | legitoteque
1g)	$\overline{\smile\smile}\,\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}$	dedimus | legito
1h)	$\overline{\smile\smile}\,\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\,\smile$	dedimus | legitote
1i)	$\overline{\smile\smile}\,\overset{2}{-} \mid \overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\,\overline{\smile\smile}$	dedimus | legitoteque

Horum membrorum omnium, cum singuli in singulis contineantur ictus, metrica eadem est mensura. Rhythmicam uero, sicut supra fecimus, et syllabarum spatia dinumerando, et numerorum rationes quam simplicissimas efficiendo, constituamus necesse est.

1a)	2/4	qui eadem	inter se	ratione distant qua	1 et 2
1b)	2/5	»	»	»	2 et 5
1c)	2/6	»	»	»	1 et 3
1d)	3/4	»	»	»	3 et 4
1e)	3/5	»	»	»	3 et 5

1f)	3/6	qui eadem inter se	ratione distant	qua	1 et 2
1g)	4/4	»	»	»	1 et 1
1h)	4/5	»	»	»	4 et 5
1i)	4/6	»	»	»	2 et 3

Quibus comprehensis probatur, non solum fieri omnino uersus hexametri legibus ea, de quibus disserimus, mensurarum discidia quaedam, sed et saepius dissentire mensuras inter se quam congruere, cum e nouem membrorum compositionibus, semel tantum sit in ea, quam 1 g nominauimus, aequalitas syllabarum cum percussionum aequalitate coniuncta, et tam disparem membris syllabarum partiumque rationem inesse posse, ut plus duplo maius sit nonnumquam alterum altero, quod illis quae sunt 1b 1c demonstratur.

Quae omnia cum propter hanc causam in disceptationem sint uocata, quod et singula singulas membra percussiones haberent, et aequalitas quaedam in metrica mensura conficeretur, id ipsum est eorum minime proprium, sed multorum commune. His enim, quas supra descripsimus, figuris, si pro iis ictibus, qui secundum tertiumque uersus occupant locum, alii quiuis adferantur, uel primusque et secundus, uel tertiusque et quartus, uel ceteri, prorsus similes quasdam componere possis.

Neue in his diutius commoremur, et prima secundaque et quinta sextaque percussiones cum propius ad uersus initium aut finem quasi premantur, his uniuersus syllabarum numerus subiungitur minor, membra

conformantur pauciora. Quod et ipsa haec figurarum collatio uicinitasque satis demonstrat

(⏑)(⏑) 2– ⏖ 3 (⏑)(⏑)
1– ⏑⏑ 2 (⏑)(⏑)

quarum prior iam est supra descripta, altera primum secundumque pedem respicit. Quod si computatio quaedam fiat membrorum, quae harum unaquaque continentur, priorem illam in bina membra modis 27 distribui posse probauimus (p. 29), ex altera uero non plus quam 9 formentur membrorum compositiones, quae sunt

4a)	1– | ⏖ 2–	Dant | legito
4b)	1– | ⏖ 2– ⏑	Dant | legitote
4c)	1– | ⏖ 2– ⏖	Dant | legitoteque
4d)	1– ⏑ | ⏑ 2–	Redde | legunt
4e)	1– ⏑ | ⏑ 2– ⏑	Redde | leguntque
4f)	1– ⏑ | ⏑ 2– ⏖	Redde | legunt ibi
4g)	1– ⏖ | 2–	Reddite | lex
4h)	1– ⏖ | 2– ⏑	Reddite | lexque
4i)	1– ⏖ | 2– ⏖	Reddite | collige

His autem membris, cum spatiorum breuium numeri, quae sunt in syllabis et breuibus et longis, rationes habeant illiusmodi

4a)	2/4	quae ratio	similis	huic	1 et 2
4b)	2/5	»	»	»	2 et 5
4c)	2/6	»	»	»	1 et 3
4d)	3/3	»	»	»	1 et 1

4e)	3/4 quae ratio similis huic				3 et 4
4f)	3/5	»	»	»	3 et 5
4g)	4/2	»	»	»	2 et 1
4h)	4/3	»	»	»	4 et 3
4i)	4/4	»	»	»	1 et 1

illud etiam efficitur, quod supra iam obtinuit, inaequalitates syllabarum cum percussionum aequalitate et multas et magnas quasdam coniungi.

Quod ne pluribus confirmemus argumentis, non ipsae res obstant, sed huius opusculi breuitas. Neque enim de illis percussionum aequalitatibus, quae sunt in uno eodemque uersu, siue ictus in ambobus membris coniunctis 4, siue 6 continentur, ut hae

1 — ◡◡ 2 — | ◡◡ 3 — ◡◡ 4 —
Tota fremit | uocesque refert
1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — | ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡
Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora rursus
(III, 684.)

neque de illis compluribus, quae in duo pluresue diuiduntur uersus, quarum exempla sunt haec duo inter se diuersissima

◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡ |
1 — ◡◡ 2 —
pariterque feremus |
Quicquid erit
(XI, 442-443.)

1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡
1 ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — | ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 ◡
1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

Haud procul Hennaeis lacus est a moenibus altae
Nomine Pergus aquae | non illo plura Caystros
Carmina cycnorum labentibus audit in undis
(V, 385-387.)

amplius disserere uacat.

Quid quod uidendum est, ne huiusmodi figuris diutius explicandis, non satis magnam legentibus utilitatem adferre uideamur. Nam et ipsi qui legunt, sumpto ex hac membrorum compositione, quam supra descripsimus, exemplo

$$(\smile)(\smile)\overset{2}{-}\smile\bar{\smile}\overset{3}{-}(\smile)(\smile)$$

ceteras, quaecumque singulos aut continuos uersus occupant, in sua membra distribuere poterunt, neque tamen postquam complures inuestigarint, illud satis certum efficient, quod ex his concludi uidetur, permultis in membris, cum sit aequalitas percussionum, syllabarum inaequalitatem fieri. Ecquanam sit harum, quas nos ita componimus, figurarum uis ac significatio, si quamuis e quadam uerborum comprehensione, ut est illa de qua antea dictum (p. 31)

$$\overset{1}{-}\overline{\smile\smile}\overset{2}{-}(\smile)(\smile)$$

membrorum dispositiones omnino 9, sed perfectae quaedam et pari syllabarumque et percussionum aequalitate quasi concinnae 2 tantummodo, illae 4d et 4i possint constare, poetae tamen has duas tam frequenter, ceteras tam raro uersibus suis intexuerint, ut perfectarum compositionum paucitatem exemplorum

frequentia compensarit? Nonne quae ipsi poetae scripserunt longius attentiusque sunt consideranda, quam si quas figuras numerosque mathematicorum more perpendentes, ex inanibus ut ita dicam incerti alicuius hexametri percussionibus syllabisque componimus? Accedit huc quod si uerba poetarum cum rhythmis numerisque coniuncta percipis, non aures tantum sed mens etiam ad ea meditanda sollicitatur, ipsi uero rhythmi numerique altius in animum percipientis et memoriam penetrant.

Non igitur est satis ex uniuerso hexametri genere et communi quasi figura, quam saepe ea mensurarum discidia, quae tractamus, inueniantur demonstrasse, sed nunc quaeramus, num in illis, quos exemplorum modo proposuimus, Metamorphoseon libris, frequenter sint haec membra, quibus percussionum aequales, inaequales syllabarum numeri contineantur usurpata. Neque in hoc ipso de omnibus iis membris, quibus ex uniuersa percussionum syllabarumque condicione diuersitas illa mensurarum uidetur inesse posse, disquirere uacat; sunt exempla quaedam eligenda et consideranda.

Illa primum in quaestionem accersimus, quae quia primos in uersu pedes occupant, prima legentibus proponuntur, iam uero supra (p. 31) sunt descripta, suisque signis ut 4a 4b ceterisque nominata.

Horum enim membrorum alterum primus ictus, alterum secundus obtinet, quod 9 dispositionibus effici

diximus. Non autem 9 illae omnes, sed 4 tantum in Metamorphoseon libris leguntur, quae sunt

4a)	loco	1	Dic | ubi sit	(VIII, 861.)
4b)	»	0		
4c)	»	0		
4d)	locis	6	Sentit | adhuc [1]	(I, 554.)
4e)	loco	1	Datque | capitque	(XV, 309.)
4f)	»	0		
4g)	»	0		
4h)	locis	2	Dum redit | itque	(II, 409.)
			Sensimus | inquit	(X, 408.)
4i)	loco	0		

E quibus cum in quarta et nona (4d, 4i) coniuncta sit syllabarum ac percussionum aequalitas, ceterae dispares habeant syllabarum uel potius spatiorum breuium numeros, fieri potest harum, quas imperfectas, cum illis, quas perfectas diximus, comparatio quaedam. Scilicet adsunt in Ouidi uersibus perfectae non 2 sed 1, imperfectae non 7 sed 3; exempla autem ipsa in perfectis sunt 6, 4 in imperfectis posita. Quid est autem in his numeris significationis, nisi et pariter quodammodo poetam perfectis membrorum disposi-

1. Ceteros huiusmodi uersus his locis reperias : II, 361 et 362 ; V, 218 ; XII, 505 ; XIII, 14.

tionibus imperfectisque uel delectari uel abhorrere, et quod quasdam aut usurparit aut neglexerit, id non pro ipsa uniuersa percussionum syllabarumque discrepantia, sed propter alias causas, de quibus nihil hoc loco dicamus, effecisse. Quo quidem exemplo quantum apud Ouidium diuersitates illae membrorum ualeant, subtili certaque mathematicorum ratione perpendisse et declarasse minime uidemur ; illud tantum probasse, iis esse suum in Ouidi uersibus locum quemdam.

Atque hoc ipsum alia multa ualidioraque confirmant, illae praesertim membrorum comprehensiones, quibus aut totus uersus aut magna pars exstat hexametri. Quo de genere cum amplius postea sit anquirendum, exempla hic proferantur illa tantum illustrissima, in quibus alterum membrum tres primos uersus ictus, alterum ceteros habet.

Nam salua percussionum aequalitate, distributio syllabarum tribus his modis fieri potest

1) 1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡◡ | 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque (V, 166.)

2) 1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡ | ◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti (II, 33.)

3) 1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — | ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora rursus (III, 684.)

Quorum membrorum quae prima sunt, in iis sylla-

barum aut aequalitas constat perfecta quaedam, si ultima pro longa ponitur, quia iam membrum utrumque breues partes uel spatia 12 conficiunt, aut si pro breui habetur, inaequalitas aequalitati proxima; in secundis uero membris ea syllabarum ratio uersatur, ut quantacumque aestimetur ultima, longius sit secundum membrum aut uno spatio breui aut duobus quam primum; tertia denique membra ea sunt inaequalitate syllabarum insignia, ut nulla maior fieri possit, cum prius uersus quod dicitur hemistichium multo sit breuius altero. Quibus membrorum dispositionibus syllabarum inaequalitas cum sit primae minima, secundae maior, ultimae maxima, quot quaeque Metamorphoseon uersibus inueniatur uideamus. Primae sunt igitur exempla 5, secundae 7, ultimae uero 548, qua nulla fere magis ab Ouidio frequentatur. Quibus haec procul dubio nonnumquam fieri confirmantur, et una cum inaequalitate ipsa syllabarum exemplorum frequentiam crescere, et quae maxima sit inaequalitas, in omnibus paene exemplis adhiberi.

Quod autem adhuc proposuimus, membra mensurarum inaequalitate praedita habere suum in Ouidi uersibus locum et quemdam et magnum, id iam ex iis omnibus, quae sunt antea descripta, satis demonstratum putamus. Nam sumptis de copia exemplorum quibusdam, quot qualesque esse possint illae membrorum compositiones, quam longis membris, quibus uersuum locis positae, suspicari licet. Verum cum non quae tan-

tum, sed cur exstent, nobis sit explicandum, id non per exempla selecta quaedam, sed ita solum effici uidetur, si uel omnes uel paene omnes ante oculos legentium protulerimus. Quippe et uniuersa summaque considerantibus, non perfectam causarum inuestigandarum operam fieri, nisi sua cuique rei causa tribuatur, apparet, et dum ingentem iam rerum siluam et uarietatem complectimur, nos non cunctas singulasque percensere atque illustrare posse, nunc etiam praesentimus. Quae ita erunt concilianda quodammodo et excusanda, si in hac saltem priore parte, qua colligi res exponique diximus, compositiones membrorum omnes, quibus discrepantia sit mensurarum, ordine suo fuerint descriptae.

Qua describendi diligentia, si qua nos postea in explanando neglexerimus, ipsi qui legunt ita supplebunt, ut non quae sint omissa tantum, sed quomodo haec ipsa explananda, collatis illis quae exempla delegerimus, cognoscant. Praeterea cum et multae diuersaeque sint eae membrorum dispositiones, quae discidium quoddam habeant mensurarum, et multis nonnullae Metamorphoseon locis positae, illa etiam diuersitas accedit, quod neque omnes pari uersuum numero, sed aliae frequenter aliae raro adhibentur, neque unaquaeque diuersis eadem in locis uerba, quaeque uerbis insunt, res ac significationes easdem continet. Quod cum ita sit, nisi describendis membrorum dispositionibus, quot quaeque quibusque locis usurpata sit addiderimus, legentes quasi destituisse et defrau-

dasse uidebimur. Atque eorum tantum membrorum locos quosdam aut multos aut plurimos praetermittendos existimamus, quae permulta sint ac peruulgata, et in quibus facillime discrepantiae mensurarum explanentur.

Sed hoc ipsum suo loco ; nunc est ad id reuertendum, quod diximus, membrorum compositiones esse describendas aut omnes, aut paene omnes. Videamus igitur, quae quibusque causis sint etiam in describendo colligendoque neglectae.

Primi generis sunt illae, quae quamquam longiores, tamen cum breuioribus quibusdam conferri et consociari possunt. Quarum exempla habeamus longioris hanc

Haud procul Hennaeis lacus est a moenibus altae
Nomine Pergus aquae | non illo plura Caystros
Carmina cycnorum labentibus audit in undis
(V, 385-387.)

breuioris illam

Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora rursus
(III, 684.)

Iis quidem uel percussionum uel breuium spatiorum summae maxime inter se differunt, haec ipsa uero, de qua quaeritur, mensurarum diuersitas, prorsus est eadem. Scilicet illa longior, quamquam si totam amplecteris, trium uersuum compagem, si diuidis, partes duas continet, quarum altera a primo in secundum uersum, altera a secundo in tertium porrigitur, tamen

singulos tres uersus clare distincteque procul dubio aures nostrae separant, et suo quemque in spatio quasi collocant. Quam uersuum distributionem et ipsa metrorum efficit condicio, cum in omni uersu quintus pes dactylusque frequentissimus, sexti pedis incerta ultima syllaba atque hiatus finem uersus denuntiet, et nisi audientibus manifesta fieret, ii denique numeri, qui sunt proprii carminum, et a soluta oratione abhorrent, et ob hoc maxime nos delectant, omnino non percipi possent.

Itaque quoniam sunt uersus, qui membris continen tur, disiuncti aurium iudicio et separati, trium tot partium, quot sunt uersus, nascitur distinctio quaedam, quamquam illa ipsa duorum membrorum diuisio minime tollitur aut etiam obliteratur, quod haec describit figura

Haud procul Hennaeis lacus est a moenibus altae ¦
Nomine Pergus aquae | non illo plura Caystros |
Carmina cycnorum labentibus audit in undis ¦

Mensurarum uero discrepantias dum inuestigamus, membrorum prior diuisio, in membris enim maxime, non in uersibus considerantur mensurae, sed deinde uersuum occurrit; quae cum auribus insinuauit se et institit, tum tres etiam in mensuris aestimandis partes comprehensionis exstant. Harum prima et tertia, qui sunt primus tertiusque uersus, omni mensurarum diuersitate uacuae uidentur, quoniam tot sunt in uno uersu, quot in altero, et syllabarum spatia et percus-

siones. Quae uero mensurarum diuersitas in totum membrorum spatium sese primum considerantibus quasi expandebat, ea iam in medium uel secundum uersum conclusa est atque contracta. Unde fit nobis, cum omnis sit in mensurarum diuersitatibus opera nostra posita, haec in comprehensione diuisio, ut quae pars membrorum in primo tertioque uersu contineatur, ea quoniam mensurarum diuersitatem habeat nullam, obscuretur et quasi negligatur, solum uero seiunctumque medii uersus spatium teneamus atque illustremus.

Quod postquam est ita discretum ac separatum

> Nomine Pergus aquae | non illo plura Caystros

nonne illi breuiori comprehensioni, de qua antea diximus

> Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora rursus

prorsus similes habere numeros uidetur? Nonne eadem hac figura

> 1 — $\overline{\smile\smile}$ 2 — $\overline{\smile\smile}$ 3 — | $\overline{\smile\smile}$ 4 — $\overline{\smile\smile}$ 5 — $\overline{\smile\smile}$ 6 — $\overline{\smile}$

comprehensiones ambae describuntur? Constat enim certa ratione ac demonstrata, cum in mensuris aestimandis toto nunc simus animo attenti, et mensurarum definitionem omnem in percussionibus syllabisque, quae sunt numerorum, uersari, et cunctas syllabas percussionesque, quibus mensurae definiantur, hac figura, quae in ambas membrorum comprehensiones pariter

conueniat, contineri. Quod autem sententiarum uis ac significatio ita in iis diuersa est, ut altera perfecta et expleta, altera interrupta et fracta uideatur, hoc neque ad describendas mensuras ullo modo pertinere iam demonstrauimus, neque ad explananda huiusmodi quidem comprehensionum discidia quid quam conferre, postea decerni poterit. Igitur cum neque in describendis neque in explanandis mensuris, eae membrorum dispositiones, quas comparamus, aliquid inter se differant, nisi quod illi

> Haud procul...

longiori, primi tertiique uersus inutile atque molestum pondus quasi adhaereat, necesse est huic breuiori

> Emerguntque...

uni sit in nostra quaestione pro duabus locus.

Atque multae sunt aliaeque, quarum ob eamdem causam nullam facere mentionem statuimus, nonnullae etiam breuiores

> et abstulit illis
> Quod mortale fuit | maiestatemque uerendam
> Imposuit
>
> (IV, 539-541.)

⏑ 5– ⏕ 6– ⏓

1– ⏕ 2– ⏕ 3– | ⏕ 4– ⏕ 5– ⏕ 6– ⏓

1– ⏑ ⏑ 2–

Cuius quamquam tota si membra complectare, ea mensurarum discidia comprehendas, ut ictus utrumque 5,

syllabarum spatia prius 18, alterum 19 habeat, quibus quidem in numeris ultimae uersuum syllabae pro breuibus ponuntur, attamen separatis inter se et quasi disiunctis, ut diximus, uersibus, postquam omnis mensurarum et inaequalitas et comparatio in medium est uersum inclusa,

┊ Quod mortale fuit | maiestatemque uerendam ┊

iam haec ipsa membrorum comprehensio cum illa

Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora rursus

in unam uidetur confusa.

Itaque e tribus membrorum dispositionibus, quae sunt supra descriptae

Emerguntque...
Haud procul...
et abstulit...

illa prima, quae breuissima est. in ceterarum locum ponatur, hae omnino praetermittantur. Illud quidem est in ultima peculiare, quod postquam solidorum membrorum aequalitatem inaequalitatemque in medii uersus spatium quasi contraxisti, hoc modo

et abstulit illis ┊
Quod mortale fuit | maiestatemque uerendam ┊
Imposuit

tum iis ipsis, quae sunt in primo tertioque uersu posita et neglecta, nascitur discidium quoddam mensurarum, ut incisum primum

et abstulit illis

ictus 2, syllabarum spatia 8, ultimum

Imposuit

ictus 2, syllabarum spatia 6 habeat. Animaduertat autem, si quis ea propter hoc in disceptationem nostram esse retinenda existimat, nullam omnino mensurarum comparationem fieri, nisi membra sint continua, ut si poeta scripsisset

et abstulit illis |
Quod moritur

Sed ita coniunctis primo ultimoque inciso, et tollitur illa, de qua initium disserendi fuerat, comprehensio

et abstulit illis
Quod mortale... ...
Imposuit

et exstant noui prorsus atque ab hac diuersi numeri.

Atque longioribus quibusdam comprehensionibus propter similitudinem breuiorum neglectis, multo iam fiunt pauciores, quas uel describentes uel explanantes complecti cogimur. Sunt etiam aliae quaedam neglegendae, non quod sunt longiores, sed quamquam proprium aliquid continent, ad mensuras comparandas nihil adferunt, quod non ex aliis facilius duci possit. Huiusmodi sunt elisiones in membrorum confinio positae

Et dici potuis|*se et* | non potuisse refelli
(I, 759.)

In quo quae syllabae in unum spatium elidendo coalescunt, hoc si priori membro adiungitur

Et dici potuis*se et* | non potuisse refelli

exstat simile quiddam illius, quod iam est supra (p. 36) descriptum

Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque

si alteri

Et dici potuis|*se et* non potuisse refelli

efficitur aliud quiddam, sed et ipsum notissimum, quod est

Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora rursus

Item in hoc

Et finxit uul|*tum et* | meruit formosa uideri
(IV, 319.)

diuiduntur membra aut hoc modo

Et finxit uul*tum et* | meruit formosa uideri

aut illo

Et finxit uul|*tum et* meruit formosa uideri

quorum quae priora sunt, eamdem habent mensurarum condicionem quae fuit in illis

Emerguntque iterum...

altera omni mensurarum comparatione uacant, cum

neque percussionum neque syllabarum ulla percipiatur aequalitas.

Itaque his omnibus collatis, quaecumque membra elisiones habent, utique praetermittenda censemus, cum aut mensurarum discidium in iis omne tollatur, aut si constet, simile nos iam in aliis quibusdam obseruarimus.

Nam quamquam in huiusmodi comprehensionibus et aliquid inesse proprium, id est elisionem, et multa ab elisione pendere, uel utri membro syllabae, quae sub elisionem ueniant, inhaerere uideantur, uel num fiat inde et quale mensurarum discidium, minime negamus, nostram de mensuris quaestionem respicientes huiusmodi comprehensiones si quid habeant proprium, esse id a nobis alienum, si quid nostrum, facilius aliunde cognosci sentimus, praesertim cum de elisionibus in altero libro[1] (p. 181 et sqq.) quantum sat est disseruerimus.

Quod si probatur, illas etiam dispositiones praetermittamus, quae sunt harum simillimae, nisi quod syllabae non in media membrorum continuatione, sed in finibus eliduntur, ut

> Viue ait haec | potiere tuo [et non ausa parente
> Dicere conticuit]
>
> (X, 429.)

In qua cum de elisione ita iudicemus, ut huic inciso

1. *Le Rythme Poétique dans les Métamorphoses d'Ovide.*

potiere tuo in ipsa hephthemimere finem faciamus, mensurarum ratio inuenitur eadem, quae in illis membris omni elisione liberis

> Tota fremit | uocesque refert
>
> (XII, 47.)

Veniunt illa nunc in disceptationem membra, quorum mensurae cum ultima sunt uersus syllaba coniunctae. Nempe in fine uersus nullum breuitatis longitudinisque poetae solent habere discrimen. Nobis uero, dum mensuras comparantes syllabarum spatia in unam summam colligimus, unde rhythmica fit mensura, est ultima etiam cum ceteris aestimanda atque numeranda.

Nam siue prius membrum cum uersu ipso desinit, hoc modo

> Et cupit pudetque |
>
> (X, 371.)
>
> [1]— ⏑⏑ ◡ [6]— ⏑ |

siue secundum

> habitare | sinamus
>
> (I, 195.)
>
> ⏑⏑ [5]— ◡ | ◡ [6]— ⏑

mensurarum comparatio in utraque comprehensione ab ultima uidetur syllaba pendere. Illius enim membra percussionem habent ambo 1 ; syllabarum spatia breuia secundum 4 ; prius uero 4 si ultima breuis aestimatur, 5 si longa. Itaque si est ultima breuis, iam et eadem

syllabarum ratio quae percussionum constat, haec est aequalitas, et huiusmodi membra omnino quasi a dicione nostra alienantur, cum de diuersis tantum mensuris agamus; sin longa, fit et inaequalitas syllabarum et earum cum percussionibus discidium quoddam. Item alterum exemplum, aestimata ultima, nostrumne sit an alienum decernitur, quamquam in hoc differt, quod cum 5 sint in priore membro syllabarum spatia, mensurarum discrepantiam breuis ultima non longa conficit. Neque illa est ultimarum aestimatio silentio praetermittenda, qua propriam suamque rationem habeant, et pariter a longis atque a breuibus abhorreant, unde nulla rhythmicae mensurae percipi possit aequalitas, nisi ambobus in membris exstet quaedam ultima.

Sed cum certam ultimarum atque omnium eamdem, longaene sint an breues an ancipites, rationem habere cogamur, pro breuibus cunctas syllabas numerare statuimus, in quibus uersus aliquis desinit. Ita fit ut prius exemplum

pudetque |
Et cupit

cum omne sit mensurarum discidium propter breuem ultimam detractum, omnino a proposito nostro abhorreat, alterum uero

habitare | sinamus

cum ultimae breuitas mensurarum faciat inaequalitatem quamdam, suo loco sit acceptum atque descrip-

tum. Quod quamquam multae atque potentes, ut uidentur, causae suadent, tacebimus, ne aut hanc ipsam de ultima syllaba disceptationem in arcto posuisse, aut ab illa uniuersa de mensuris quaestione procul uagati esse uideamur.

Verum postquam quae et cur sint neglegendae membrorum comprehensiones exposuimus, uel quod sit quidem mensurarum discidium quoddam, sed iam ex aliis iisque simplicioribus cognitum, uel quod nullum sit, hoc restat, ut eae, quas receperimus, quo sint ordine dispositae dicamus.

Rationes uero disponendi ut summatim considerantibus obseruare liceat, non in syllabis percussionibusque posuimus, quarum numeri in aliis alii comprehensionibus occurrunt, sed in uersuum incisionibus, quae neque in singulis uersibus multae sunt, et in omnibus similes sui, quibusque omnia membra, qualiacumque sunt, definiuntur. Primum igitur his dabimus comprehensionibus locum, quarum prius membrum cum ipso uersu desinit, ut membra hoc interuallo, quod uersum concludit, separentur. Nulla enim in obseruandis metris longior potest mora percipi, quam qua sex pedes in unum uersum quasi coagmentantur. Secunda erunt membra iis incisionibus separata, quae cum mediam uersus partem occupent, primas tres percussiones ab aliis tribus diuidunt, earumque est frequentissima penthemimeres. Tertius quartusque erit illorum locus, quae aut post secundum ictum aut ante

quartum conueniunt ; hunc enim tenent et hephthemimeres, et illa, quam antiqui ne nomine quidem suo sunt dignati, trihemimeres, quae et ipsae ualidae sunt caesurae. Ultimae uero illae describentur comprehensiones, quae aut post primum ictum aut post quintum diuiduntur.

Sed omnia membra, quaecumque eadem sunt incisione separata, cum in unum collegerimus, necesse est his ipsis, neglecta iam incisione, ordinem quemdam imponamus. Praeerunt igitur illae comprehensiones, quarum prius membrum plurimos uel ictus uel syllabarum spatia breuia continet ; id uero si par erit in pluribus, in altero de ordine decernetur.

Itaque earum, quae propter mensurarum discrepantiam sunt describendae et disponendae comprehensiones, unamquamque facillime et nos ordine suo collocauimus, et si quaeras reperias. Illud quidem in his disponendi rationibus non iniuria reprehendas, quod et ipsae breuius aequo uideantur explicatae, et si permultae sint membrorum continuationes ordinandae, alia quaedam requirantur ; sed quid omnino inuestigare proponamus, quot sint continuationes describendae, neque enim ita sunt multae, considerauimus ; quod si quis uniuersam distribuendi digerendique rationem, quae cunctis cuiusuis poematis comprehensionibus conueniat, uult cognoscere, hanc ipsam in altero libro (p. 197 et sqq.) explicauimus.

Comprehensiones igitur membrorum, quibus aequa-

litas percussionum, inaequalitas est syllabarum. in Ouidi Metamorphoseon libris inueniuntur illae[1].

[1A] ◡◡ 5 — ◡◡ — 6 ◡ | (5 ex.)

1 — ◡◡ 2 —

non magna relinquam |

Magna sequar

VII, 55. — IX, 203. — XI, 442. — XII, 224. — XIII, 516.

[2A] 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡ | (1 ex.)

1 — ◡ ◡ 2 ◡◡ 3 —

et nec frena remittit |

Nec retinere ualet

II, 191.

[3A] ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡ | (71 ex.)

1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 —

fuluos uehit unda leones |

Unda uehit tigres

e quibus I, 304. — II, 262. — III, 12. — IV, 60.

1. Earum cuique exemplum suum ab hoc loco sumpsimus, qui primus est enumeratus; loci uero ita sunt descripti, ut uersus ille, in quo distinctio fiat membrorum, nominetur.

— V, 19. — VI, 43. — VII, 15. — VIII, 197. — IX, 281. — X, 80. — XI, 61. — XII, 143. — XIII, 67. — XIV, 243. — XV, 184.

[4A] ⏕ 3 – ⏕ 4 – ⏕ 5 – ⏕ 6 – ⏑ | (10 ex.)

1 ⏕ 2 – ⏕ 3 – ⏕ 4 –

qua terra patet fera regnat Erinys |

In facinus iurasse putes

I, 241. — II, 586. — IV, 759. 793. — VI, 171. — VII, 573. — X, 334. — XI, 289. — XIII, 88. — XV, 637.

[5A] ⏕ 3 – ⏕ 4 – ⏕ 5 – ⏕ 6 – ⏑ | (3 ex.)

1 – ⏕ 2 – ⏕ 3 – ⏕ 4 – ⏕

tibi se semper debebit Iason |

Te face sollemni iunget sibi

VII, 48. — IX, 540. — XV, 833.

[6A] ⏑ 2 – ⏕ 3 – ⏕ 4 – ⏕ 5 – ⏕ 6 – ⏑ | (1 ex.)

1 ⏕ 2 – ⏕ 3 – ⏕ 4 – ⏕ 5 – ⏑

et incertae tanta est discordia mentis |

Cum pigeat temptasse libet temptare

IX, 630.

[7A] 2 — ⏔ 3 — | ⏔ 4 — ⏔ 5 — ⏑ (3 ex.)

gratentur | consolenturne

I, 578. — XIII, 62. — XIV, 672.

[8A] 2 — ⏔ 3 — | ⏔ 4 — ⏔ 5 — ⏔ (1 ex.)

da lacrimas | lugubriaque indue

XI, 669.

[9A] 1 — ⏔ 2 — ⏔ 3 — | ⏔ 4 — ⏔ 5 — ⏔ 6 — ⏑ (548 ex.)

Quae postquam euoluit | caecoque exemit aceruo

e quibus I, 24. — II, 28. — III, 2. — IV, 6. — V, 39. — VI, 25. — VII, 7. — VIII, 46. — IX, 13. — X, 18. — XI, 63. — XII, 17. — XIII, 8. — XIV, 31. — XV, 24.

[10A] ⏔ 3 — ⏑ | ⏑ 4 — (3 ex.)

discede | precor

X, 411. — XII, 19. 176.

[11A] 1 — ⏔ 2 — ⏔ 3 — ⏑ | ⏑ 4 — ⏔ 5 — ⏔ 6 — ⏑ (7 ex.)

Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti

II, 33. 279. — V, 599. — VIII, 44. — IX, 723. — XII, 215. — XIII, 77.

[12A] ⏑⏑ 3— ⏑⏑ | 4— ⏑⏑ (1 ex.)

pro qua rogat | occidit

VI, 301.

[13A] 1— ⏑⏑ 2— ⏑⏑ 3— ⏑⏑ | 4— ⏑⏑ 5— ⏑⏑ 6— ⏑ (5 ex.)

Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque

V, 166. — VII, 307. — IX, 258. — X, 466. — XI, 177.

[14A] ⏑ 2— | ⏑⏑ 3— (1 ex.)

nec est | nec erit

XV, 445.

[15A] 1— ⏑⏑ 2— | ⏑⏑ 3— ⏑⏑ 4— (67 ex.)

Signa dedi | uenisse deum

e quibus I, 220. — II, 443. — III, 189. — IV, 94. — V, 651. — VI, 193. — VII, 683. — VIII, 24. — IX, 167. — X, 235. — XI, 106. — XII, 47. — XIII, 31. — XIV, 41. — XV, 255.

[16A] 5 – ⏑⏑ 6 – ⏑ (7 ex.)

1 – ⏑⏑ 2 – | ⏑⏑ 3 – ⏑⏑ 4 – ⏑⏑ 5 ⏑ ⏑ 6 – ⏑

defodit alta

Crudus humo | tumulumque super grauis

[addit harenae

IV, 240. — VI, 575. — VII, 565. — XI, 792. — XII, 374. — XV, 37. 694.

[17A] ⏑ – 5 ⏑⏑ – 6 ⏑ (1 ex.)

1 ⏑⏑ 2 – | ⏑⏑ 3 – ⏑⏑ 4 – ⏑⏑ 5 – ⏑⏑ 6 – ⏑

et in latus ensem

Obliquat | longaque amplectitur ilia dextra

XII, 486.

[18A] ⏑⏑ 5 – ⏑⏑ 6 – ⏑ (41 ex.)

1 – ⏑ ⏑ 2 – | ⏑⏑ 3 ⏑⏑ 4 ⏑⏑ 5 ⏑⏑ 6 ⏑

procumbit uterque

Pronus humi | gelidoque pauens dedit oscula

[saxo

e quibus I, 376. — II, 332. — III, 182. — IV, 265. — V, 629. — VI, 543. — VII, 605. — VIII, 118. — IX, 462. — X, 165. — XI, 135. — XII, 156. — XIII, 436. — XIV, 143. — XV, 668.

[19A] ⏖ 4 ⏖ 5 — ⏑ ⏑ 6 ⏑ (1 ex.)

1 — ⏖ 2 — | ⏖ 3 — ⏖ 4 — ⏖ 5 — ⏖ 6 — ⏑

1 — ⏑

nec te fiducia formae
Decipiat | ne sit longe tibi captus amore
Auctor

VIII, 435.

[20A] ⏑ 2 — ⏖ 3 — ⏖ 4 — ⏖ 5 — ⏖ 6 — ⏑ (1 ex.)

1 — ⏖ 2 — | ⏖ 3 — ⏖ 4 — ⏖ 5 — ⏖ 6 — ⏑

1 — ⏖ 2 — ⏖ 3 —

et ingrato facio conuicia demens
Vana Ioui | cupioque mori moturaque duros
Verba queror silices

IX, 303.

[21A] 1 — ⏖ 2 — ⏖ 3 — ⏖ 4 — ⏖ 5 — ⏖ 6 — ⏑ (2 ex.)

1 — ⏖ 2 — | ⏖ 3 — ⏖ 4 — ⏖ 5 — ⏖ 6 — ⏑

1 — ⏖ 2 — ⏖ 3 — ⏖ 4 —

Quis furor auditos inquit praeponere uisis
Caelestes | aut cur colitur Latona per aras
Nomen adhuc sine ture meum est

VI, 171. — XIII, 88.

[22A] 1 – ⏔ 2 – ⏔ 3 – ⏔ 4 – ⏔ 5 – ⏔ 6 – ⏑ (1 ex.)
1 – ⏔ 2 – | ⏔ 3 – ⏔ 4 – ⏔ 5 – ⏔ 6 – ⏑
1 – ⏔ 2 ⏔ 3 – ⏔ 4 – ⏔

Pace data terris animum ad ciuilia uertet
Iura suum | legesque feret iustissimus auctor
Exemploque suo mores reget

XV, 833.

[23A] 1 – ⏔ 2 – ⏑ | ⏑ 3 – ⏔ 4 – ⏔ (1 ex.)

Quasque creauit | init pecudes caper

X, 327.

[24A] ⏔ 5 – ⏔ 6 – ⏑ (1 ex.)
1 – ⏔ 2 – ⏔ | 3 – ⏔ 4 – ⏔ 5 – ⏔ 6 – ⏑

tamen ille decorem
Miratur magis | et cursus facit ille decorem

X, 590.

[25A] ⏔ 4 – | ⏔ 5 – ⏑ (5 ex.)

fugat hoc | facit illud

I, 469. — IX, 524. — XI, 725. — XIV, 636. — XV, 159.

[26A] ⏑ 3– ⏖ 4– | ⏖ 5– ⏖ 6– ⏑ (1 ex.)

patrem sequitur | sequiturque sorores

I, 643.

[27A] ⏖ 3– ⏖ 4– | ⏖ 5– ⏖ 6– ⏑ (37 ex.)

qua terra patet | fera regnat Erinys

e quibus I, 241. — II, 89. — III, 465. — IV, 164. — V, 437. — VI, 3. — VII, 89. — VIII, 509. — IX, 514. — X, 362. — XI, 350. — XII, 19. — XIII, 180. — XIV, 240. — XV, 183.

[28A] 1– ⏖ 2– ⏖ 3– ⏖ 4– | ⏖ 5– ⏖ 6– ⏑ (8 ex.)
1– ⏖ 2–

Dicta Iouis pars uoce probant | stimulosque
Adiciunt [frementi

I, 244. — III, 189. 483. — VI, 177. — VII, 239. — VIII, 692. — XII, 159. — XV, 143.

[29A] ⏖ 3– ⏖ 4– ⏖ 5– ⏖ 6– ⏑ (3 ex.)
1– ⏖ 2– ⏖ 3– ⏖ 4– | ⏖ 5– ⏖ 6– ⏑
1 ⏖ 2 ⏖ 3 ⏖ 4 ⏖ 5 ⏖ 6 ⏑

uitioque animi non uiribus inquit
Gorgoneis torpetis Eryx | incurrite mecum

Et prosternite humi iuuenem magica arma [mouentem

V, 196. 666. — VI, 622.

[30A] 1– ⏑⏑ 2– ⏑⏑ 3– ⏑⏑ 4– ⏑ | ⏑ 5– ⏑⏑ 6– ⏑ (1 ex.)
1– ⏑⏑ 2–

Quae laterum cratem praerupit | et ossibus [haerens
Intremuit

XII, 370.

[31A] ⏑⏑ 4– ⏑⏑ | 5– ⏑ (2 ex.)

cupies dare | dixit

VII, 377. — XIV, 842.

[32A] ⏑⏑ 3– ⏑⏑ 4– ⏑⏑ | 5– ⏑⏑ 6– ⏑ (2 ex.)

latrasse Dymantida | flebile uisum est

XIII, 620. 662.

[33A] 1– ⏑⏑ 2– ⏑⏑ 3– ⏑⏑ 4– ⏑⏑ | 5– ⏑⏑ 6– ⏑ (2 ex.)
1– ⏑⏑ 2–

Haec frustra fugiens collabitur | illa sorori
Immoritur

VI, 295. — XV, 176.

[34A] ⏕ 3– ⏕ 4– ⏕ 5– ⏕ 6– ⏑ (2 ex.)
1– ⏕ 2– ⏕ 3– ⏕ 4– ⏕ | 5– ⏕ 6– ⏑
1– ⏕ 2– ⏕ 3– ⏕ 4– ⏕ 5– ⏕ 6– ⏑

tibi se semper debebit Iason
Te face sollemni iunget sibi | perque Pelasgas
Seruatrix urbes matrum celebrabere turba

VII, 49. — XV, 543.

[35A] 1– | ⏕ 2– (1 ex.)

Dic | ubi sit

VIII, 861.

[36A] 1– ⏑ | ⏑ 2– ⏑ (1 ex.)

Datque | capitque

XV, 309.

[37A] 1– ⏕ | 2– ⏑ (2 ex.)

Dum redit | itque

II, 409. — X, 408.

[38A] ⏕ 3– ⏕ 4– ⏕ 5– ⏕ 6– ⏑ (16 ex.)
1– ⏕ | 2– ⏕ 3– ⏕ 4– ⏕ 5– ⏕ 6– ⏑

siccis aer feruoribus ustus
Canduit | et uentis glacies adstricta pependit

I, 120. 657. 746. — III, 496. — IV, 589. 647. 690.

— V, 579. — VII, 245. — VIII, 328. 452. — IX, 640. — X, 87. 223. — XIV, 745. — XV, 261.

[39A] –5 ⏑ | ⏑ –6 ⏑ (3 ex.)

ridet | et audit

II, 429. — IV, 132. — V, 602.

[40A] ⏑⏑ –5 ⏑ | ⏑ –6 ⏑ (36 ex.)

habitare | sinamus

e quibus I, 195. — II, 493. — III, 128. — IV, 461. — V, 520. — VI, 296. — VII, 202. — VIII, 163. — IX, 214. — X, 256. — XI, 126. — XII, 27. — XIII, 238. — XIV, 595. — XV, 215.

[41A] ⏑⏑ –4 ⏑⏑ –5 ⏑ | ⏑ –6 ⏑ (1 ex.)

–1 ⏑⏑

quamuis secessit | in illa

Æstuat

VI, 490.

[42A] 2 ⏑⏑ –3 ⏑⏑ –4 ⏑⏑ –5 ⏑ | ⏑ –6 ⏑ (1 ex.)

–1 ⏑⏑ –2 ⏑⏑ –3

ambarum tetigit rude pectus | et aequum

Vulnus utrique dedit

IX, 720.

[43A] 1 – ⏖ 2 – ⏖ 3 – ⏖ 4 – ⏖ 5 ⏑ | ⏑ 6 ⏑ (3 ex.)
1 – ⏖ 2 – ⏖ 3 – ⏖ 4 –

Spectatrix aderam fati crudelis | opemque
Non poteram tibi ferre soror

IX, 359. — XIII, 929. — XV, 434.

[44A] 1 – ⏖ 2 – ⏖ 3 – ⏖ 4 – ⏖ 5 – ⏑ | ⏑ 6 – ⏑ (1 ex.)
1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏖ 3 – ⏖ 4 – ⏖

Et modo desperat modo uult temptare | pudet
Et cupit et quid agat non inuenit [que

X, 371.

[45A] ⏖ 5 – ⏖ 6 – ⏑ (2 ex.)
1 – ⏖ 2 – ⏖ 3 – ⏖ 4 – ⏖ 5 ⏑ | ⏑ 6 – ⏑
1 – ⏖ 2 – ⏖ 3 – ⏖ 4 – ⏖ 5 – ⏖ 6 – ⏑

satis inquit ab aeui
Sors mea principiis fuit inrequieta | pigetque
Actorum sine fine mihi sine honore laborum

II, 386. — VIII, 412.

[46A] 5 – ⏖ | 6 – ⏑ (4 ex.)

desine | dixit

II, 816. — X, 463. — XI, 720. — XII, 383.

[47A] ◡◡ 5 ◡ ◡ | 6 — ◡ (4 ex.)

auertere | perdes

III, 433. — V, 280. — X, 580. — XI, 132.

[48A] 2 — ◡◡ 3 — ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ | 6 — ◡ (1 ex.)
1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 —

cum uellet terra procumbere | questa est
Deriguisse pedes

II, 347.

[49A] 1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ | 6 — ◡ (5 ex.)
1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡ ◡ 4 —

Nec longum pueri fato laetabere | quo plus
Inuidiae quam laudis habes

V, 65. 253. 519. — IX, 779. 790.

CAPVT 2

DE GENERE EXEMPLORVM ALTERO

Hae uero membrorum comprehensiones, in quibus cum aequalitas rhythmicae sit mensurae, inaequalitas metricae, alterum quoddam uersari discrepantiae genus diximus, non sunt nisi breuiter attingendae. Nonne prioris generis exemplum nos in his etiam multa docet, et qua ratione in uniuerso hexametro constare posse demonstrentur, et earum, quas Ouidius usurparit, quae neglegendae, quae quoque ordine sint describendae?

Depingas igitur auribus et oculis, hexametri cuiusuis imaginem quamdam, quae non e uerbis, sed ex iis tantum, quae sunt omnium hexametrorum communes, percussionibus et syllabis, figuretur. Illa iam exstet, quam nouimus, hexametri forma communis

$$\overset{1}{-}\;\overline{\smile\,\smile}\;\overset{2}{-}\;\overline{\smile\,\smile}\;\overset{3}{-}\;\overline{\smile\,\smile}\;\overset{4}{-}\;\overline{\smile\,\smile}\;\overset{5}{-}\;\overline{\smile\,\smile}\;\overset{6}{-}\;\smile$$

Cuius partes ita distribuemus, ut in quibusdam saltem membris, syllabarum aequalitatem cum inaequalitate percussionum concurrere, facile intelligatur. Huius enim modi sunt illa

– ⏑⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑⏑
reddere dant | lege collige
⏑⏑ – ⏑⏑ | – ⏑⏑ –
dederant dare | lex legerent

quibus cum syllabarum partes breues in utroque membro 6, ictus sint in altero membro 2, in altero 1. eamdem habent et rhythmicae et metricae mensurae rationem, nisi quod percussionum numero, prius ex illis, ex his alterum superat.

Illa uero membra si per totum hexametrum quasi transferas, ita diuersa fingere possis, ut aut primam secundam tertiamque percussiones,

1 ⏑⏑ 2 | ⏑⏑ 3 ⏑⏑

aut secundam tertiam quartamque

2 ⏑⏑ 3 | ⏑⏑ 4 ⏑⏑
uiue quidem | pende tamen
(VI, 136.)

aut etiam tertiam et quartam et quintam contineant

3 ⏑⏑ 4 | ⏑⏑ 5 ⏑⏑

Sed non tres ultimi uersus ictus iis includi possunt

4 ⏑⏑ 5 | ⏑⏑ 6 ⏑

quia syllabarum numeros quam ultimae esse diximus breuitas iam dispares facit. His autem, quae secunda sunt nominata membra, uix ullus nisi in medio uersu locus tribui potest, ut

⏖ 3– ⏖ | 4– ⏖ 5–

Nam siue ad initium

(1–) ⏖ 2– ⏖ | 3– ⏖ 4–

siue ad finem

⏖ 4– ⏖ | 5– ⏖ 6– (◡)

deportas, id exstare percipis, quod aures nullo modo tolerare possunt, ut una solaque syllaba et a praecedentibus et a sequentibus disiuncta quasi pendeat.

Sed quo longiora fingis membra, eo pauciores in locos inseras, ut si quae sint e percussionibus 5, syllabarum breuibus spatiis 20 composita

–́ ⏖ –́ ⏖ –́ | ⏖ –́ ⏖ –́ ⏖
reddere reddere dant | lege collige collige
⏖ –́ ⏖ –́ ⏖ | –́ ⏖ –́ ⏖ –́
dederant dederant dare | lex legerent legerent

illa in initio uersus locare succedat

1– ⏖ 2– ⏖ 3– | ⏖ 4– ⏖ 5– ⏖
Si qua tibi nurus est | si qua est tibi filia
(VI, 39).

haec cum illam singularum syllabarum disiunctionem, quam uituperauimus, duplicem faciant

(1–) ⏖ 2– ⏖ 3– ⏖ | 4– ⏖ 5– ⏖ 6– (◡)

omnino sint excludenda.

Neque in singulis tantum uersibus, sed in conti-

nuatis etiam, poetae licet has discrepantias membrorum conficere. Cuiusmodi sunt illa, quorum utrumque syllabarum partes 17, prius ictus 5, alterum 4, amborum uero coniunctio pedum 9 spatium continet,

[1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏑ ⏑ 3 – ⏑ ⏑] 4 – ⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑
1 – ⏑ ⏑ 2 – | ⏑ ⏑ 3 – ⏑ ⏑ 4 – ⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑

reddere reddere redde
reddere dant | lege collige collige colligitote

Sed si uersibus item continuatis eamdem in aliis membris discrepantiam imiteris, uix sit una aut altera comprehensio similis componenda.

Atque id, quod iam ex iis praesentimus quodam modo atque experimur, pauciora constare mensurarum discidia in hexametris uersibus syllabarum aequalitate quam percussionum, qua ratione fiat, multa quidem possint exempla demonstrare, sed quae sunt simplicissima, pro ceteris ponamus.

Scilicet percussionum aequalitatem quamdam, cum una tantum in quoque membro percussio, in priore secunda, tertia in altero uersetur, hac figura describimus

[⏑ ⏑] 2 – [⏑ ⏑] 3 – [⏑ ⏑]

in qua breuia syllabarum spatia, quae sunt in debilioribus pedum partibus posita, uncis inclusimus. Haec autem, ut salua percussionum aequalitate, et inaequalitas syllabarum, et mensurarum exstet illa discrepantia, de qua antea quaerebamus, aut cum altero membro

coniungere, aut ab utroque separare licet, unde fit ut in multis membrorum continuationibus, eadem prorsus mensurarum ratio dispositioque possit obseruari. Etenim nouem sunt antea (p. 29) iisdem his mensuris comprehensiones quaedam descriptae, sed multas eiusdem modi uel plures neglesimus. Diuersa uero est ab hac et dissimilis cum mensurarum condicio, tum etiam membrorum uarietas, si aequalitas in syllabis, inaequalitas in percussionibus ponitur. Cuius rei exemplum illud e media uersus parte sumamus

2— ⏔ 3— | ⏔ 4— ⏔
uiue quidem | pende tamen

His igitur cum membris si alia quaedam conferre uelis, quae mensurarum rationem similem, non autem omnia similia habeant, nulla reperias.

Quod ut confirmetur, ad illud exemplum reuertamur, in quo percussionum aequalitas cum inaequalitate syllabarum concurrit

[⏔] 2— [⏔] 3— [⏔]

Quam si figuram syllabis auges quodam modo atque imples, membra exstant huiusmodi

2— | ⏔ 3—
dant | legito

Horum autem similia illa multa, de quibus supra diximus, ita componis, si percussiones quidem siue sin-

gulorum siue coniunctorum membrorum easdem conseruas, in his enim definitio membrorum et proprietas ipsa uersatur, syllabis uero aliquid addis, quod inaequalitatem non tollat, sed inmutet aliquantum, ut in his

2 – ◡ ◡ | 3 –
reddite | lex

aut

2 – | ◡ ◡ 3 – ◡
dant | legitote

Quibus communia sunt cum illis prioribus multa eaque maxima, et percussionum ratio, cum unam quodque membrum in omnibus comprehensionibus habeat, et syllabarum inaequalitas, diuersi tantum syllabarum breuiumque partium aut in singulis aut in coniunctis membris numeri, non ita tamen ut ab inaequalitate deflectant. Seruata sunt igitur in tribus his continuationibus ea omnia, e quibus definitio ipsa uniuersa pendet mensurarum. Atque illa prima quasi exemplo quodam ad confingendas ceteras utebamur, quarum prior totidem breues partes, hoc est 6, continet, sed earum quaecumque in continuatione mediae sunt, in uersu debiliorem secundi pedis partem occupant, has ad prius membrum ab altero traduximus; tertia uero comprehensio a prima in hoc tantum differt, quod secundo membro adiuncta est breuis quaedam tertii pedis syllaba, qua antea carebat.

Illorum nunc, quibus aequalitas rhythmicae est mensurae, inaequalitas metricae,

$\overset{2}{-}\,\overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\mid\overline{\smile\smile}\,\overset{4}{-}\,\overline{\smile\smile}$

uiue quidem | pende tamen
reddere dant | lege collige

similia quaedam componamus. Syllabarum ratio cum aequalitatem conficiat, non magis est in his inmutanda, quam fuit in illis aliis percussionum. De percussionibus igitur uideamus, aut ab altero membro ad alterum traducendis, aut a finitima uersus parte aliqua in membrum alterutrum abducendis. Horum neutrum fieri posse facile intelligis. Nam siue tertium uel medium ictum a priore membro ad secundum transfers

$\overset{2}{-}\,\overline{\smile\smile}\mid\overset{3}{-}\,\overline{\smile\smile}\,\overset{4}{-}\,\overline{\smile\smile}$

reddite | collige collige

siue primum ictum priori membro connectis

$\overset{1}{-}\,\overline{\smile\smile}\,\overset{2}{-}\,\overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\mid\overline{\smile\smile}\,\overset{4}{-}\,\overline{\smile\smile}$

Reddere reddere dant | lege collige

inaequalitas quidem percussionum aut permanet aut augetur, sed et aequalitatem syllabarum et hanc ipsam, quae cum ea est coniuncta, mensurarum diuersitatem iam sustulisti.

Ita fit ut si mensuras sic constituas, ut alterius aequalitas, alterius fiat inaequalitas, sed aequalitas in certis, inaequalitas in incertis posita numeris, ut membris illis

[⏑⏑] ²– [⏑⏑] ³– [⏑⏑]

e duabus percussionibus aequalitas, inaequalitas ex incertis constat syllabarum partiumque numeris, tum si percussionum sit aequalitas, iam in pluribus membrorum comprehensionibus eadem possit obseruari mensurarum condicio, sin autem syllabarum, una tantum cuique mensurarum condicioni comprehensio respondeat. Cuinam sit igitur mirum, plures in aliquo poemate illas mensurarum discrepantias inueniri, quas prioris esse generis diximus? Atque id si quis cur fiat quaerit, illius modi membra

²– ⏑ ⏑ ³– | ⏑ ⏑ ⁴– ⏑ ⏑

uiue quidem | pende tamen

considerans, ipsas hexametri leges facere intelligit, quibus cum sint ictus et in altera tantum cuiusque pedis parte positi, et aequalibus semper interuallis separati, nullum umquam e statione sua mouere sit concessum.

Atque altera quaedam est causa, cur pauciora exstent syllabarum aequalitate mensurarum discidia. Quae quidem non est cum illis uersus legibus, de quibus apud omnes conuenit, sed cum hac nostra coniuncta, qua ultimam syllabam inter breues adnumerauimus. Silicet illorum membrorum, quae desinentis uersus interuallo separantur, multa sunt aequalibus percussionum, inaequalibus syllabarum numeris insignia, quorum exempla sint illa

‿ ‿ ⁵— ‿ ‿ ⁶— ‿ |

— ‿ ‿ —

non magna relinquam |

Magna sequar

Ex his autem comprehensionibus, quarum membra syllabarum aequalitatem, inaequalitatem percussionum habent, nulla ita disponi potest, ut prius membrum cum uersu desinat. Hoc enim ipsa hexametri figura demonstrat

¹— ‿ ‿ ²— ‿ ‿ ³— ‿ ‿ ⁴— ‿ ‿ ⁵— | ‿ ‿ ⁶— ‿ |

¹— ‿ ‿ ²— .....

In qua prius membrum illud exempli modo propone, quod et quinti pedis secundam partem et sextum totum continet. Id syllabarum spatia breuia 5, ictum habet 1. Huic discidium hoc mensurarum, quod nunc inuestigamus, iam tum constabit, si secundum membrum syllabarum spatia totidem, ictus habeat plures uel 2. Id autem membrum ne sic definias, ipsa hexametri obstat natura, qua longam ullam, si ictus insistat, in breues quasi resoluere uetaris.

Quibus ex omnibus concluditur, rarius hoc fieri secundum genus discrepantiarum ; sed illud etiam praesentimus huius modi comprehensiones si omnino usurpantur, et usurpari quasdam experiemur, has ipsas non multis in uersibus easdem referri.

Id enim non ex ipsis metrorum legibus sed ex arte atque decreto quodam pendet poetarum, quo uersus incisiones certis in locis posuerunt. Qui cum sint no-

tissimi, ne nominibus quidem suis, sed signis tantum quibusdam illustremus, hoc modo

1 — ◡◡ 2 — | ◡◡ 3 — | ◡◡ 4 — | ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡ |

His igitur in locis cum Latini poetae orationem suam frequentissimis longissimisque moris interpungere sint soliti, illae sunt in eorum uersibus comprehensiones usitatissimae, quarum membra his ipsis incisionibus non a ceteris tantum, sed interse diuiduntur. Haec autem membrorum distinctio, et in prius illud discrepantiarum genus ita conuenit, ut in multis iisque maxima exemplorum crebritate illustratis dispositionibus obseruetur, quarum exemplum est uel haec

Tota fremit | uocesque refert

(XII, 47.)

1 — ◡◡ 2 — | ◡◡ 3 — ◡◡ 4 —

uel illa

Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora [rursus

(III, 684.)

1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — | ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

et huic alteri generi contraria est maxime, quod quidem si quis paulisper hexametri figuram consideret, cognoscat. Non erit igitur cuiquam mirum, quod sicut dispositiones membrorum, rhythmica mensura aequalium, metrica inaequalium, Ouidius usurpauit quasdam, ita paucis solum in uersibus earum unamquamque posuit.

Verum non exempla tantum cuiusque comprehensionis, sed ipsas comprehensiones esse paucas, enumerando iam demonstrabimus. In quo easdem ordinandi leges huic generi fecimus quas priori.

[1B] 2 — ⏑⏑ 3 — | ⏑⏑ 4 — ⏑⏑ (2 ex.)

uiue quidem | pende tamen

VI, 136. — X, 372.

[2B] 1 — ⏑⏑ 2 — ⏑⏑ 3 — | ⏑⏑ 4 — ⏑⏑ 5 — ⏑⏑ (7 ex.)

Si qua tibi nurus est | si qua est tibi filia

VI, 39. — IX, 115. 779. 790. — X, 34. — XIV, 23. 123.

[3B] 4 — ⏑⏑ 5 — ⏑⏑ 6 — ⏑ (1 ex.)

1 — ⏑⏑ 2 — | ⏑⏑ 3 — ⏑⏑ 4 — ⏑⏑ 5 — ⏑⏑ 6 — ⏑

et subit ipse meumque

Explet opus | Naxoque petit diuersa relicta

III, 649.

PARS III

EXPLICATIO CAVSARVM

Discrepantiae mensurarum illae, de quibus agimus, postquam ita accurate descriptae, ut uersus ipsos Ouidianos singulos, in quibus rhythmica mensura a metrica abhorreat, nominauerimus, nunc explicandae etiam sunt quodam modo et ad suas causas referendae. Quod etsi in omnibus est rebus necessarium, quae quales sint cognoscere, non pluris facimus, quam quae sit utilitas aut necessitas fabricata, in his tamen requiritur maxime. Nam sicut in cottidiano sermone uerborum sonum neglegimus, uim tenemus, magisque mentes ad percipiendum quam aures attendimus, ita in ornata oratione aut in carminibus, syllabas uerborum atque litteras, sonandi uenustatem, componendi numeros et modos, denique quicquid sub aurium iudicium uenit, cum uoluptatem quamdam in iis consectemur, captamus atque animaduertimus. Quorum magna pars sunt syllabarum percussionumque numeri atque rationes, eamque ob causam, si quae in uersibus membra audimus uel legimus illius modi

Emerguntque iterum | redeuntque sub aequora [rursus
(III, 684.)

1_ ‿‿ 2_ ‿‿ 3_ | ‿‿ 4_ ‿‿ 5_ ‿‿ 6_ ‿

nullo potest pacto fieri, quin aequales percussionum, inaequales syllabarum numeros, obseruemus atque comparemus.

Qui quidem quia discrepando inter se et repugnando nos uehementer commouent, si neglegentia quadam et quasi forte uidentur occurrere, offendunt, si consilio suo et arbitrio poeta, certam ob utilitatem disposuit, excusantur atque etiam iuuant. Horum autem utrum fiat, et uniuersa carminum natura nos, quae non sunt ad offendendas, sed ad delectandas aures inuenta, et ipsius Ouidi ingenium iam nunc admonet, sed tamen quibus fiat modis, id operae pretium est demonstrare.

Atque explicandi, sicut antea describendi, partes faciemus duas, priorem iis membris, quibus percussionum aequalitas, inaequalitas est syllabarum, alteram illis contrariis, quorum aequalitas in rhythmica mensura, inaequalitas in metrica uersatur.

CAPVT I

DE GENERE EXEMPLORVM PRIORE

Huius uero partis totius complexionem ut legentes anticipare possint, plures esse et explicandi modos, et ob hoc ipsum utriusque exemplorum generis diuisiones et quasi species praenuntiamus.

Etenim prima tum patet explanandi uia, si membra aut inter se aut cum aliis quibusdam membrorum partibus ita sunt coniuncta atque connexa, ut uix possint separatim ab auribus comprehendi; quibus confusis quodammodo et commixtis, ipsi eorum numeri, ipsae mensurae, ipsa denique mensurarum discidia obscurantur et quasi euanescunt. Alia est eorum ratio, in quibus syllabarum ac percussionum discrepantia quaedam iam tum notatur, cum numeros tantum utrarumque consideras. Nam si non quot sint percussiones, sed quo uersus loco positae respicis, in hoc uidetur syllabarum inaequalitas illa ita cum percussionum condicione congruere, ut plus etiam quam ipsa aequalitas iucunditatis habeat. Sunt denique membra quaedam, quorum quamquam et a percussionum numero syllabae abhorrent, neque ad dispositionem illustrandam

quidquam conferunt, non tamen nullam ob causam poeta has duas numerorum modorumque partes inter se contrarias uidetur fecisse; quam numerorum conflictionem aures dum percipiunt, hoc ipso clariorem oculi rerum earum imaginem sibi fingunt, quas describere uoluit.

Itaque mensurarum discrepantiae aut extenuantur, aut interse conciliantur, aut excusantur. Extenuandi modi sunt 2, conciliandi 3, excusandi 1, uniuersae explicationis 6, exemplorum in utroque genere formae uel species totidem. His autem praedictis si quid inest obscuri, exempla deinceps illustrabunt.

a) *species prima.*

Haec eorum est comprehensionum quas antea (p. 51 et sqq.) signis 6A 7A 8A illustrauimus. Qualis autem sit, exemplum primo proponamus, a uerbis uacuum, fictis quibusdam e partibus ita compositum, ut omnibus pariter membris conueniat. In quo litteras A et B pro membris, X et Y pro iis orationis partibus ponemus, quae membris non inclusae sunt, sed finitimae; totum uero constabit huiusmodi

X A B Y

Illud quidem ut certum acceptumque praemittimus, coniunctiores inter se esse A et B quam alterutrum

cum uicinis illis X et Y, quod ni ita se haberet, neque membra ipsa A et B, neque in his mensurarum discrepantia ulla, de qua dicamus, omnino obseruaretur. Sed cum sint A et B et uoce, si legentem fingis, et mente, si cogitantem, ita inter se connexa, id tamen minime obstat, quominus illius A cum X, illius B cum Y, quaedam sit et significandi societas, et quae hac ipsa conficitur, pronuntiandi continuatio. Itaque in hac uerborum dispositione

X A B Y

non illorum tantum membrorum

A | B

imaginem, sed etiam horum

X A | B
A | B Y
X A | B Y

fingimus atque conseruamus. Nam cur non imagines uocemus eas etiam, quas aures non oculi percipiunt?

E quibus quamquam illa

A | B

et citius aliis conformatur, et splendidiore quodam colore illustratur, ad ceteras etiam animum aliquatenus attendimus. Atque hae quo nos magis in se conuertunt, eo magis ab illa prima distrahunt, unde membro-

rum rationes in ea mensurarumque discidia minus iam ualent ad commouendos nos atque detinendos. Non igitur iniuria uidemur contendisse, illa X et Y, cum sint horum A et B non uicina tantum, sed similia quodam modo, et percussionum in his aequalitatem, et syllabarum inaequalitatem, et earum inter se discrepantiam extenuare et obscurare.

Sed idem est in ipsius poetae ueris et quasi uiuis uerbis demonstrandum.

Primum est igitur huius comprehensionis, quam 6A nominauimus, exemplum descriptum illud

gratentur | consolenturne

(I, 578.)

$\overset{2}{–}\ \overline{\smile\ \smile}\ \overset{3}{–}\ |\ \overline{\smile\ \smile}\ \overset{4}{–}\ \overline{\smile\ \smile}\ \overset{5}{–}\ \smile$

totus autem uersus, in quo haec media

[Nescia] *gratentur consolenturne* [parentem]

Primum igitur uerbum *Nescia* similis est huius partis, quam antea uocauimus X, secundum *gratentur* illius A, tertium *consolenturne* illius B, quartum denique *parentem* illius Y. Quae nunc quibus sint rationibus inter se coniuncta uideamus. Scilicet illis

gratentur | consolenturne

sunt cum significationes sonique simillimi, tum interpungendi mora breuissima, ut a praecedenti X sequenti Y statim separes, continuata interse comprehendas,

mensurarum uero in his discrepantiam obserues atque perpendas.

Quod cum ita constet, non tamen illa *Nescia* et *parentem* licet omnino neglegere. Quorum prius si cum illo *gratentur* consocias, aliquid exstat

Nescia gratentur
X A

quod tu et facile intelligas et libenter accipias atque ob hanc ipsam causam ad componendum solliciteris. Id autem, quod ex his constituitur membrum, cum et per se ab altero aliquo separatum exstare uix posse dixerimus, et primam illam comprehensionem

gratentur | consolenturne
A | B

mensurarumque in ea discidium, semper ante oculos habeas, statim ut composuisti, iam cum sequenti *consolenturne* continuas hoc modo

Nescia gratentur | consolenturne
X A | B

Verum ad ea omnia accedit etiam quartum hoc *parentem*. In quo ne diutius commoremur, et non minus anguste cum secundo membro *consolenturne* cohaerere, quam illud *Nescia* cum priore membro *gratentur*, nemo non intellegit, et hac ipsa coniunctione, nouam illam exstare membrorum continuationem

gratentur | consolenturne parentem

Quam postquam illi XA|B addidisti atque comparasti, nascitur illa denique, quae ceteras tempore consecuta est, numero partium antecedit

Nescia gratentur | consolenturne parentem
X A | B Y

Nunc autem omnia recollige, quae siue attentiore siue remissiore animo comprehendis, tamen utique complecteris, atque inter se comparas. Hae sunt comprehensiones quatuor

gratentur | consolenturne
Nescia gratentur | consolenturne
gratentur | consolenturne parentem
Nescia gratentur | consolenturne parentem

E quibus mensurarum discidium illud, quod inuestigas, prima illa habet, quae et ante alias nata est et uehementius animo affixa, sed una tamen, ceterae aut nullum habent aut aliud quoddam ab hoc plane diuersum.

Quae quidem nihil eo minoris sunt, ad id ipsum quod quaeritur, obseruandum atque animaduertendum, momenti, uel potius detrimenti, cum quo maiorem in his operam consumas, quae ab hoc nostro mensurarum discidio uacent, eo longius ab illa, in qua id uersetur, sit aberrandum. Haec autem quamquam prius atque diutius te ceteris, tamen illae etiam detinent, atque eo maiorem sensus mentisque partem,

ut ita dicam, ad se uindicant, quo et plures sunt et illustriores. Illustres autem dicimus, et captando animo idoneas, quascumque ad conformandas propter angustam quamdam uerborum connexionem sollicitamur, quam quidem in hac

gratentur | consolenturne parentem

omnium, si primam illam

gratentur | consolenturne

excipias, artissimam esse diximus.

Itaque cum non sint in omnibus uersibus, aut aeque multae, aut aeque illustres, illae membrorum continuationes, quae quamquam discrepantiam nullam habeant, tamen ad illam quae habeat percipiendam aliquid conferant, iam distinctionem atque comparationem quamdam uersuum exemplorumque fieri posse concludimus. Sed hanc ne instituamus, ad illud reuertamur, quod cum ad uniuersam disceptationem tum ad hanc partem refert plurimi, mensurarum in huius modi uersibus discrepantiam, propter comprehensionum multitudinem diuersitatemque, ita obscurari et attenuari, ut aures iam uix possit offendere. Namque in hoc quo usi sumus exemplo

Nescia *gratentur consolenturne* parentem

et media uerba *gratentur consolenturne*, cum inter se cohaereant, in unam comprehensionem segregamus

atque includimus, et mensurarum in ea condicionem, cum aliae quaedam eaeque minime neglegendae sint consideranti obuiam, uix ita certam definitamque animo comprehendimus, ut acrius diutiusque perpendere libeat.

Sed quamquam hoc omnes huius modi membrorum continuationes, quas tres esse dumtaxat diximus (p. 78), commune habent, neque minimae harum diuersitates sunt explicandae, numeros tamen exemplorum, in quibus earum quaeque eadem notatur, quam paucissimis uerbis comparemus.

Quae quidem comprehensiones neque ita multae sunt, ut multa certaque nos, dum comparamus, doceant, neque ipsae omnes inter se comparandae. Etenim cum crebriora sint, ut diximus (p. 73), dispositionum earum exempla, quarum membra certis quibusdam uersus incisionibus definiantur, eas tantummodo inter se iure conferas, quae in iisdem aut simillimis uersus locis, et incipiunt, et desinunt, et separantur. Hos autem similes habent illae solae

2 – ⏖ 3 – | ⏖ 4 – ⏖ 5 – ⏑
gratentur | consolenturne

et

2 – ⏖ 3 – | ⏖ 4 – ⏖ 5 – ⏖
da lacrimas | lugubriaque indue
(XI, 669.)

haec maiore syllabarum breuiumque partium inaequa-

litate, quae sunt in priore membro 6, in altero 10, minore exemplorum copia, quorum hoc solum exstat, illa inaequalitate minus insignis, exemplis locupletior, quae 3 in Metamorphoseon libris leguntur. Neque erit cuiquam mirum, rarius eam usurpari, in qua mensurarum diüersitas sit grauior, siquidem discidium illud, quod aures offendat, non aboleri in huiusmodi comprehensionibus, sed attenuari tantummodo diximus.

b) *species secunda.*

Atque id ipsum est his membrorum dispositionibus, ad quas nunc uenimus, cum praecedentibus commune, quod obscurantur quodam modo numeri, et si quid in iis offendit, mitigatur ; sed diuersa atque simplicior natura, cum in ipsis membris omnis numerorum ratio et explanatio, uicinis orationis partibus neglectis, uersetur. Huius autem modi sunt comprehensiones illae, quas antea nominauimus 10^{A}, 12^{A}, 14^{A}, 25^{A}, 31^{A}, 35^{A}, 36^{A}, 37^{A}, 39^{A}, 40^{A}, 46^{A}, 47^{A}, illis antecedentibus cum numero plures, tum exemplis frequentiores. Quales sint, una pro ceteris illa 10^{A} unusque uersus demonstrabit

discede | precor (X, 411.)

$\overline{\smile\smile}\,\overset{3}{-}\,\smile \mid \smile\,\overset{4}{-}$

Nam percussiones in membris syllabarumque partes dinumerare, mensuras conficere, comparare, aequare inter se aut discernere, discidium earum aliquod notare et metiri, haec omnia non possumus, nisi membra ipsa separata sint inter se atque seiuncta. Id autem in his ita fieri, ut postquam continuata primo perceperimus, deinde separemus, et alterius quasi obliti alterum consideremus, neque ulla alia est mensurarum aestimandarum ratio, quicumque leget uel audiet negabit.

Ut enim eam esse membrorum *discede* et *precor* coniunctionem, quae omnino solui numquam possit, iam legens experiris, ita unde sit nata, breui perpendendi mora cognoscis. Scilicet cum quo breuiores sint orationis partes, eo libentius consociemus, atque in unum quiddam grauius maiusque colligamus, nulla fere breuior comprehendi potest, quam illae *discede* aut *precor,* quarum utraque unam tantum percussionem continet. Quod enim cuiusuis orationis membrum, quem articulum, quem quidem separatim obseruandum putemus, in una impressione definimus? Neque mens atque ipsa cogitatio aliter de his membris inter se coagmentandis, quam aures iudicant. Nonne et hoc *precor* a superiore si separes, ui omni ac significatione priuatum, languescat quodam modo et euanescat, et illud ipsum *discede,* etsi quid sibi uelit iam nunc intellegamus, tamen ad id efficiendum multo minus ualeat? Quas propter causas, postquam e duobus his membris unum quasi composuisti, modus

etiam numerusque e duobus unus, mensura una, mensurarum uero discidium factum est nullum.

Quod in omnibus huius modi comprehensionibus, si non perfici, neque enim ipsa membrorum aut distinctio aut comprehensio iam exstaret, at certe mentis aurisque inclinatione quadam uehementer appeti, altera illa demonstrat

> [Eque sagittifera prompsit duo tela pharetra
> Diuersorum operum] : *fugat hoc* | *facit illud* [amorem]
> (I, 468-469.)

in qua si eorum quae antecedunt *Diuersorum operum* memineris, non minus anguste, quam in illa, esse membra coniuncta existimabis.

Neue ipsos uersus omnes describamus, numerum tantum et uersuum, in quibus quaeque membrorum dispositio notatur, et dispositionum ipsarum, quae ad hanc speciem formamque pertinent, breuiter obseruemus.

Etenim cum sit aequalitas percussionum, inaequalitas syllabarum, quo dispares magis sint breuiorum spatiorum in utroque membro summae, eo maiorem fieri mensurarum discrepantiam concludes, unde compararandarum inter se dispositionum exstabit ratio quaedam, si quantam quaeque habeat rhythmicae mensurae inaequalitatem dimensus, comparaueris. Ex quo haec duo diuersa, ut uidentur, efficiuntur, et rariores eas, quae maiorem habeant syllabarum inaequalitatem

mensurarumque discidium, et earum tamen esse quasdam. Nam breui parte 1 breuius est alterum membrum in comprehensionibus 7, quae sunt 14^A, 25^A, 36^A, 37^A, 39^A, 40^A, 46^A, 2 breuibus partibus in 3 illis 10^A, 12^A, 35^A, 3 in 2 reliquis 31^A, 47^A.

Cui simile quiddam accedit, si exempla comprehensionum, non comprehensiones, dinumeras, quod et plura sunt illarum fere, quarum inaequalitas est aequalitati proxima, ut 40^A, cuius exempla exstant 36, 25^A et 46^A, quarum prior 5 altera 4 locis inuenitur, et excipienda tamen una haec 47^A, cuius inaequalitas est in breuibus partibus 3, frequentia in exemplis 4 posita. Quae omnia quamquam diuersa esse diximus, ita concilias, si harum comprehensionum naturam perpendis, quarum discrepantia, quatenus animos commouet, offendit, sed non uehementer commouet. Nam si non omnino offenderet, et aeque multae et aeque multis exemplis frequentatae essent eae, quae diuersam eam haberent, si uehementer, pauciores etiam, quam sunt, pauciorumque exemplorum illae, quae maiorem haberent ceteris.

Itaque non sunt huiusmodi continuationes ab illis ita diuersae, in quibus prima illa species uersatur, cum in utrisque mensurarum discrepantia neque ad nihilum redigi, neque rursus possit distincte percipi, idque ipsum et singulis uersibus, et collectis uel continuationibus uel earum cuiusque exemplis demonstretur.

Sed nunc ad eas uenimus, quae procul ab his distant, quod mensurarum discidium iam non obscuratum quodam modo et attenuatum, sed integrum totumque percipis.

c) *species tertia.*

Haec in iis uersatur continuationibus, quae antea sunt et descriptae, et 9^A, 11^A, 15^A, 23^A, 26^A, 27^A nominatae. E quibus cum prima illa 9^A multo sit usitatissima, exemplum ab ea unum pro ceteris aut eiusdem aut ceterarum mutuabimur

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
>
> (II, 28.)
>
> 1 ⏔ 2 — ⏔ 3 — | ⏔ 4 — ⏔ 5 — ⏔ 6 — ⏑

Horum enim membrorum quam aliena est ratio ab illis

> discede | precor

aut

> [Nescia] *gratentur* | *consolenturne* [parentem]

quae neque ipsa in unum confundi possint, est enim utrumque nimis et longum et diuersae ab altero significationis, et a finitimis cum desinentis uersus interpunctione ac mora, tum descriptarum rerum uarietate sint diuisa. Itaque postquam distinctos eorum numeros modosque percepimus, mensurarum discrepan-

tiam, ictus pares, syllabarum summam in secundo membro breuibus spatiis tribus maiorem, dimetimur atque perpendimus.

Quam quidem aures multo uehementius, quam in illis superioribus, repudiarent, si omnino offenderet; cur in his non offendat si uis cognoscere, quid inaequalitas numerorum aliqua efficiat considera. Etenim siue ictus siue syllabae siue quaelibet impressiones, ab auribus dinumerantur, atque in membra colliguntur, si sunt membra duo inaequalium numerorum, breuius uero priore, longius altero loco positum, tum propter hanc disponendi rationem, et interpunctio interuallumque, quod membra diuidit, imminui, et membrorum ipsorum alterum ad alterum quasi continuandum tendere uidetur, ut tota comprehensio quasi accelerato circuitu ad finem suum properet. Quod ipsum et omnibus, quicumque de rhythmis numerisque apud Graecos etiam et Romanos scripserunt, notum est atque peruulgatum, et nos in altero libro [1] pluribus explicauimus, et tu si cuiusuis orationis partem aliquam perlegas, facile experiaris, et nunc in horum membrorum syllabis deprehenditur.

Quid tamen, cum comparandae sint mensurae, dispares syllabae ad ictus pares, quae quantumcumque ad eam numerorum partem, quam in syllabis posuimus rhythmicamque diximus, conferunt, in hos quidem

1. *Le Rythme poétique dans les Métamorphoses d'Ovide*, pp. 93-94.

multo minus uidentur conuenire, quam si ipsae essent pares ?

Atenim percussiones plura in se habent, quam adhuc obseruantes protulimus. Quae etsi ad conficiendas mensuras sunt dinumerandae, ut horum membrorum utrumque tres habere uoluimus, illud etiam notandum, quae sint, quibus uersuum locis positae.

Harum igitur pars prior hemistichium quod dicitur uersus prius, altera secundum, collectae uersum totum conficiunt. Id autem quanta pars est numerorum, illorum quidem, qui in percussionibus et metrica quam uocauimus mensura neglectis syllabis uersantur. Hac enim cum percussionum dispositione

Stabat nuda Æstas et spicea serta gerebat
1 — ◡ ◡ 2 — ◡ ◡ 3 — ◡ ◡ 4 — ◡ ◡ 5 — ◡ ◡ 6 — ◡

illam

nec nutrix etiamnum concipit ullum ¦
Mente nefas
(X, 403-404.)

2 ◡ ◡ 3 — ◡ ◡ 4 — ◡ ◡ 5 — ◡ ◡ 6 — ◡ ¦
1 — ◡ ◡ 2 —

si comparas, quam diuersae esse inter se uidentur, quam anguste coniuncti illius ictus, cum ad eumdem omnes uersum pertineant, quam distincte separati, si qui in hac alienam quodam modo a ceteris remotamque secundi uersus regionem occupant, cui uersuum diuisioni ne significationis quidem uerborum et collocationis uincula obstare ualeant. Atque etsi omnes coniun-

gimus inter se eiusdem uersus percussiones uel partes, ut illas minutas

> discede | precor
> ⏑ ⏑ 3– ⏑ | ⏑ 4–

aut

> gratentur | consolenturne
> 2– ⏑ ⏑ 3– | ⏑ ⏑ 4– ⏑ ⏑ 5– ⏑

at magis etiàm has maiores

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
> 1– ⏑ ⏑ 2– ⏑ ⏑ 3– | ⏑ ⏑ 4– ⏑ ⏑ 5– ⏑ ⏑ 6– ⏑

quae quia dimidiae sunt uersus partes, hoc est definitae, certam quamdam in se totius uersus imaginem continent, et ad euoluendam perficiendamque nos sollicitant. Nonne priore hemistichio

> Stabat nuda Æstas
> 1– ⏑ ⏑ 2– ⏑ ⏑ 3– |

percepto alterum

> et spicea serta gerebat
> ⏑ ⏑ 4– ⏑ ⏑ 5– ⏑ ⏑ 6– ⏑

requiris, altero prius, non autem neque praecedentis uersus secundum, neque prius sequentis ?

Verum sicut singulorum uersuum partes cur inter se quasi cohaerere uideantur facile intellegimus, cum et leges ipsae metrorum nos eas in totum quiddam colligi debere moneant, et poetarum uersus legentes hexa-

metrum quidem aliquem a ceteris seiunctum, non autem partes eius a partibus seiunctas exstare posse sentiamus, et in continuatione etiam uersuum unius tantum hexametri forma sui semper similis sese animis imprimat, ita propter easdem has causas ictus obseruandos non tam dinumeramus quam disponimus, et in uersus uersuumque partes aut consociamus aut distinguimus, atque membra non pro percussionum numero, sed pro uersuum potius hemistichiorumque diuisione aut coniunctione definimus.

Itaque cum sint in percussionibus haec duo, numerus et condicio, quorum ex altero quot sint, altero quales, cognoscimus, syllabas inaequalitatemque cum his duobus conferamus. Quae quidem non tam a numero abhorrere quam cum condicione congruere uidentur.

Nam et aequali quid est magis contrarium quam inaequale, et huic hemistichiorum insitae innataeque connexioni, sunt enim in hoc exemplo

Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — | ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

eadem comprehensionis membra, eadem uersus hemistichia, quid aptius illa connexione, quam dispari syllabarum partiumque numero, cum breuius sit prius membrum altero, confici diximus? Atque si tam manifesta esset et insignis audientibus, computandarum percussionum copia, quam ordinandarum compositio,

aeque abhorrens atque conueniens esse cum metrica mensura rhythmica uideretur. Quid quod multo pluris dispositionem percussionum quam numerum, et uersus hemistichiaque in membris, quae collectis e percussionibus constant, quam ipsas percussiones facimus? Unde non iniuria uidemur antea (p. 77) dixisse, inaequalitatem syllabarum in his huiusque modi membris, melius etiam cum percussionibus quam aequalitatem conuenire atque consonare, cum hemistichiis inter se coniungendis, quae natura sint coniungenda, non nihil afferat. Nonne igitur ob ipsam syllabarum inaequalitatem mensurarumque discrepantiam licet hoc exemplum concinnum perfectumque existimare?

Sed quotquot possunt totius hexametri distingui partes, iis rhythmorum numerorumque natura condicionem facit eamdem, ut inter se cohaerere uideantur. Namque sicut illae sex quae sunt in uersu percussiones, in duo membra uel hemistichia, ex illa comprehensione

Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
1 2 3 | 4 5 6

aliisque multis diuidi posse cognouimus, ita et in tria facile, cum duas tantum quodque habeat percussiones, diuidas hoc modo

Quid faciam | roger anne rogem | quid deinde [rogabo?
(III, 465.)
1 2 | 3 4 | 5 6

Neque sunt his ternis singuli uersus partibus ab illis binis diuersi, aut numeri quamque percussionum condicionem uocauimus, cum ipsae collectae totum unumque conficiant uersum, nisi quod tribus, non duobus membris, totius uersus quasi conuersio absoluitur, quorum si duo tantum adferantur, tertium requiras, aut nomen ipsum hemistichiorum, nisi natura repugnet, absonum esse uideatur. Itaque non minus in ternis, si nominare licet, hemistichiis, quam in binis inaequalitas illa syllabarum delectat, qua posterius membrum longius est superiore. Quod quidem et in hoc exemplo ita perfici sentimus, ut plures habeat breues partes secundum membrum primo, tertium secundo

Quid faciam | roger anne rogem | quid deinde rogabo
1 — ⏑ ⏑ 2 — | ⏑ ⏑ 3 — ⏑ ⏑ 4 — | ⏑ ⏑ 5 — ⏑ ⏑ 6 — ⏑

et plerumque in tripartitis uersibus eamdem prorsus rationem seruare poetas experimur.

Quod si est, ut diximus, rhythmicae mensurae diuersitas in huius modi comprehensionibus ad percussionum dispositionem accommodata, atque propter hoc ipsum percipientibus iucunda, exempla illarum pauciora esse debere suspicamur, quae aut nullam habent aut paruam. Id autem et multis modis et hoc maxime potest demonstrari, si hemistichia aut inter se aequalia, aut ita inaequalia, ut secundum tertiumue sit breuius, primo in communi hexametri cuiusuis imagine

quadam, quae fieri possint, deinde in Ouidi libris, quae sint, inuestigamus.

Bina igitur quae diximus hemistichia priore longiore componi possunt haec

Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque
(V, 166.)

1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏑ ⏑ 3 – ⏑ ⏑ | 4 – ⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑

quae supra (p. 54) sunt et nominata 13^A et descripta. Quae Ouidius in uersibus usurpauit 5 : illa uero magis concinna 9^A

Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
(II, 28.)

1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏑ ⏑ 3 – | ⏑ ⏑ 4 – ⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑

et 11^A

Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti
(II, 33.)

1 ⏑ ⏑ 2 – ⏑ ⏑ 3 – ⏑ | ⏑ 4 – ⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑

in uersibus 555.

Terna uero membra, quae quidem superiora aut paria aut longiora habeant posterioribus, in hexametro disponas illa

a) Cernere cerne | uidere uident

1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏑ | ⏑ 3 – ⏑ ⏑ 4 – [⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑]

b) Cernere cernere | nomine nomine

1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏑ ⏑ | 3 – ⏑ ⏑ 4 – ⏑ ⏑ [5 ⏑ ⏑ 6 – ⏑]

c) uidere uidentque | uolumine regis

[1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏑] ⏑ 3 – ⏑ ⏑ 4 – ⏑ | ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑

d) Cernere cernere | nomine rex

1 — ∪ ∪ 2 — ∪ ∪ | 3 — ∪ ∪ 4 — [∪ ∪ 5 — ∪ ∪ 6 — ∪]

e) Cernere cernere | nomine rege

1 — ∪ ∪ 2 — ∪ ∪ | 3 — ∪ ∪ 4 — ∪ [∪ 5 — ∪ ∪ 6 ∪]

f) decernit habere | uolumine regis

[1 — ∪ ∪ 2] ∪ ∪ 3 — ∪ ∪ 4 — ∪ | ∪ 5 — ∪ ∪ 6 — ∪

g) latrasse Dymantida | flebile uisum est

(XIII, 620.)

[1 — ∪ ∪ 2 —] ∪ ∪ 3 — ∪ ∪ 4 — ∪ ∪ | 5 — ∪ ∪ 6 — ∪

h) uideret habereque | nomine regis

[1 — ∪ ∪ 2 — ∪] ∪ 3 — ∪ ∪ 4 — ∪ ∪ | 5 — ∪ ∪ 6 — ∪

i) cernit habereque | nomine regis

[1 — ∪ ∪ 2 — ∪ ∪] 3 — ∪ ∪ 4 — ∪ ∪ | 5 — ∪ ∪ 6 — ∪

Quarum dispositionum omnium unam tantum, quam antea 32[A] nunc *g* nominamus, eamque 2 tantum locis Ouidius ponere est ausus, cum illarum longioribus extremis membris concinnarum uniuersarum, exempla uersibus includeret 38.

Quas ipsas concinnas si inter se compares, illud etiam accedat, quod illarum 9[A]

Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat

1 — ∪ ∪ 2 — ∪ ∪ 3 | ∪ ∪ 4 — ∪ ∪ 5 — ∪ ∪ 6 ∪

et 11[A]

Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti

1 — ∪ ∪ 2 — ∪ ∪ 3 — ∪ | ∪ 4 — ∪ ∪ 5 — ∪ ∪ 6 — ∪

cum utraque secundum longius membrum, sed altera tribus breuibus partibus, altera una tantum parte

habeat, eidem cui insignius mensurarum discidium, plura multo sunt exempla; inuenitur enim illa in uersibus 548, haec in uersibus 7.

Unde tam fit manifestum, neque enim potest magis, maxima in his quidem comprehensionibus mensurarum discrepantia poetam delectare maxime, ut in paucos etiam uersus cur minorem quamdam admiserit miremur.

Scilicet hoc ipsum exemplum

> Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti

demonstrat, id eum non inuitum fecisse, sed uerborum numeros ad eius animum, quem loquentem fingeret, accommodasse. Etenim quando syllabarum inaequalitas est ad coniungenda inter se membra, constringendosque quodam modo numeros idonea, si qua sunt aequalitatis finitima, iis connexio ista hemistichiorum solui, laxiores et quasi incertiores esse numeri uidentur. Sed interroganti, interrogat qui loquitur, nonne incertus est animus, neque ab incertis abhorrens numeris? Accedit huc quod quicumque anxius ab altero aliquo quae scire cupit percontatur, is res ipsas quae commouent singulas profert atque illustrat maiore studio, quam in continuationes sententiarum quasdam digerit ac distribuit; quare bene callideque poetam uerba illa singula, quae maximi sint momenti, *uiae*, *hac*, in usitatissimis post secundum quartumque ictus caesuris, membrorum uero diuisionem in rariore

quadam post tertium trochaeum posuisse intellegimus. Unde in hoc huiusque similibus uersibus, et qui illas incisiones in pronuntiando, et qui hanc neglegat, pariter numeros arte compositos debilitare ac frangere puta.

Igitur quamquam sunt huius modi continuationum aliae aptioribus numeris uenustiores, ut illae 9[A]

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat

aliae minus iucundae, ut hae 11[A]

> Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti

uniuersas tamen si complexus cum superioribus illis

> discede | precor

aut

> gratentur | consolenturne

conferas, perfectas quasdam cum imperfectis conferre uideare. Illarum enim discidium mensurarum cum si notaretur offenderet, attenuare poeta uoluit et celare ; in his nullum esse dicere licet discidium, uerum conciliationem et quasi concordiam, qua et delectantur qui audiunt, et integram libenter accipiunt. Cui dispositionum naturae necesse est respondere exemplorum copiam, cum et uniuersum genus consideranti multo maior in hoc perfecto quam in illis obscuratis, et singulas cuiusque generis comprehensiones inter se comparanti discidio mensurarum maiore minor in illis,

in his maior esse uideatur. Neue illud huic numerorum concinnitati ac perfectioni obstare credas, quod quasdam comprehensiones communi generi esse contrarias ut

Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque

diximus, eae suo loco in unam speciem uel formam colligentur ac describentur, ut ipsas excusari quodam modo appareat, neque ab aurium uoluptate omnino abhorrere.

d) *species quarta.*

Has autem membrorum dispositiones, quas in quarta specie posuimus, cum copiose sit tertia explicata, satis erit et nominibus suis 1A 2A 3A 4A 5A, et exemplo uno ab hac tertia sumpto

fuluos uehit unda leones |
Unda uehit tigres
(I, 304-305.)

⏑ ⏑ 4 – ⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 ⏑ |
1 – ⏑ ⏑ 2 ⏑ ⏑ 3 –

illustrare, cum ita sint ab illis superioribus

Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
1 – ⏑ ⏑ 2 – ⏑ ⏑ 3 – | ⏑ ⏑ 4 – ⏑ ⏑ 5 – ⏑ ⏑ 6 – ⏑

diuersa, ut ipsa diuersitas in similitudinem uertat.

Diuersa est enim syllabarum inaequalitas, qua longius

membrum in illa tertii generis sequitur, in hac antecedit, ille autem modus tam ad coniungenda inter se membra, et continuandum circuitum, quam hic ad membra separanda, infringendumque, ut ait Cicero, uerborum ambitum accommodatus ; diuersa percussionum dispositio, uel sicut proprio nostroque uerbo diximus condicio, cum sint ictus utrarumque comprehensionum in hemistichiis positi, sed illa eiusdem uersus, haec diuersorum ; eadem uero in utroque genere et mensurarum non tam diuersitas quam concordia, et uniuersorum numerorum iucunditas, cum non minus in ea hemistichia, quae unum eumdemque conficiant uersum, connexio illa membrorum, quam in ea, quae ad diuersos pertineant uersus, haec disiunctio conueniat.

Huius igitur modi comprehensiones ipsi neglegamus, alias quasdam in quibus plus insit noui inuestigaturi ; legentibus, si plura de his cognoscere uolunt, committamus.

e) *species quinta.*

Nouum illud, quod quaerimus, eae adferunt membrorum continuationes, quae in hac specie quinta sunt positae, cum et concilietur, ut in antecedentibus, inaequalitas rhythmicae mensurae cum aequalitate metricae, et alio concilietur modo. Nomina sunt enim

earum quae antea (p. 51 et seqq.) protulimus 16^A, 17^A, 18^A, 19^A, 20^A, 21^A, 22^A, 24^A, 28^A, 29^A, 30^A, 33^A, 34^A, 38^A, 41^A, 42^A, 43^A, 44^A, 45^A, 48^A, 49^A, natura omnium communis ex hac una 18^A usitatissima cognoscenda, cuius exemplum describatur illud

> [Ut templi tetigere gradus] *procumbit uterque*
> *Pronus humi* | *gelidoque pauens dedit oscula saxo*
> (I, 375-376.)
>
> ◡ ◡ 5 — ◡ ⏑̄ 6 — ◡
>
> 1 — ⏔ 2 — | ⏔ 3 — ⏔ 4 . ⏔ 5 — ⏔ 6 — ◡

Huius autem comprehensionis numeros modosque facilius multo iudicet, si quis illam tertii generis

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
> (II, 28.)
>
> 1 — ⏔ 2 — ⏔ 3 — | ⏔ 4 — ⏔ 5 — ⏔ 6 — ◡

in memoriam uelit reuocare.

De qua antea (p. 92) disserentes, quantum ad commouendas aures ualeat illa omnibus eiusdem definitionis uersibus communis imago quaedam exposuimus. Quae et propter illam omnium ingeniis insitam numerorum metrorumque intellegentiam, et propter ipsam uim memoriae, ita est animis impressa atque infixa, ut hexametrum hunc communem eiusque partes uel hemistichia, per totum auditi lectiue poematis tenorem intueamur quodam modo et consectemur, nec sine uoluptate quadam recognoscamus atque perpendamus.

Itaque si quae erunt membra aut hexametri totius aut hemistichii cuiusdam quasi forma ac modulo inclusa, ut illud

Stabat nuda Æstas
1 — ◡ ◡ 2 — ◡ ◡ 3 —

uel

et spicea serta gerebat
◡ ◡ 4 — ◡ ◡ 5 — ◡ ◡ 6 — ◡

libenter facileque et singula dimetiare et inter se compares; sin autem ea ita erunt uersuum hemistichiorumque naturae contraria, ut e diuersorum uersuum partibus componere debeas, ut hoc

Pronus humi procumbit uterque |
1 — ◡ ◡ 2 — ◡ ◡ 5 — ◡ ◡ 6 — ◡ |

cum iam colligendis iis impressionibus confirmandisque, e quibus constet membrum, magna quaedam obstent, et uersuum interpunctio, quae illa membri incisa inter se diuidat, et uicinae eiusdem uersus partes

[Ut templi tetigere gradus]...

uel

... gelidoque pauens dedit oscula saxo

quae ad se quodque connexione quadam alligatum quasi teneant, tum has diuersorum uersuum percussiones

procumbit uterque |
◡ ◡ 5 ◡ ◡ 6 ◡

et

Pronus humi
1 – ◡ ◡ 2 –

non sine labore quodam ac mora in unam summam conferas, unde metrica membri exstet mensura.

Unde fit ut membrum illud

Stabat nuda Æstas

et hoc

procumbit uterque
Pronus humi

singula si obserues, multo facilius et illius ictus dinumeres et uniuersos numeros complectare, si cum sequentibus conferas

Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
procumbit uterque
Pronus humi | gelidoque pauens dedit oscula saxo

etsi in utraque continuatione totidem numerantur utriusque membri percussiones, in illa 3 et 3, in hac 4 et 4, tamen aequalitatem metricae mensurae in utraque prorsus diuersam esse experieris.

Nam cum illius membra et singula hemistichiis et coniuncta uersu toto contineantur, atque propter hoc ipsum facile, ut diximus, ab auribus perpendi possint, celeri quodam certoque iudicio paria esse cognoscis. Huius autem non est metrica mensura componenda, nisi quattuor prioris membri percussiones et diuersis e uersibus deprompseris, et obstante quodam

modo uersuum diuisione in unam summam continuaueris. Illam igitur percussionum aequalitatem, quam facile dinoscas, perspicuam atque integram, hanc, quam non nisi neglectis uersus hexametri peculiaribus numeris modisque percipias, obscuram et fractam uocare licet. Sed nunc ut hanc solam, qua species haec quinta continetur, quamque nostram iam possumus dicere, consideremus, et in hac ipsa ad syllabarum condicionem mensurarumque comparationem reuertamur, nonne inaequalitas syllabarum, sunt breuia spatia in priore membro 15, in altero 17, non cum ipsa quidem percussionum aequalitate, sed quod magis debet laudari, cum propria huius aequalitatis ui atque natura uidetur congruere, quam poeta ad inaequalitatem quasi deflectere et inclinare uoluerit?

Et si non unum sed ambo membra, continuationes eiusdem generis et formae quaedam e diuersorum uersuum partibus composita habent, ut haec

nec te fiducia formae ¦
Decipiat | ne sit longe tibi captus amore ¦
Auctor

(VIII, 434-436.)

⏖ 4– ⏖ 5– ⏖ 6– ⏑
1– ⏖ 2– | ⏖ 3– ⏖ 4– ⏖ 5– ⏑ ⏑ 6– ⏑
1 ⏑

nihil tamen ab illa priore distat, nisi quod duobus locis aequalitatem infringi, et propiorem etiam inaequalitati esse iudicamus.

Verum cum quo similiora sint duo quaedam, eo acrius singula in iis quae differant inuestigemus, magis nobis aequalitas percussionum illa perspicua quam haec obscura membra ad comparandum commendat, ne miremur poetam in hoc genere inaequalitatem ipsam syllabarum minus subtiliter perpendere et disponere. Nam inaequalitatem quidem esse uult, sed qualis quantaue sit, multo minus quam in superioribus considerat.

Qualis sit enim inaequalitas, id ab hoc pendet, prius secundumne sit membrum longius altero : ut uero tertio generi aptius esse diximus longius membrum secundo loco positum, quarto si antecedat, ita quinto hoc atque illud pari iure adhiberi uidetur. Quanta sit, iam tum cognoscis, cum quot breuibus syllabarum spatiis alterum membrum ab altero superetur dinumeras ; id autem in tertio quartoque genere poeta cum minime neglegeret, eas uero maxime comprehensiones in utroque frequentaret, quarum membra quam plurimis inter se breuibus partibus differrent, huius modi membris inaequalitatem esse quamuis, dum sit omnino, satis habet. Quod et aliae quaedam membrorum dispositiones, et hae maxime demonstrant 16A

defodit alta
Crudus humo | tumulumque super grauis addit [harenae
(IV, 239-240.)

5 – ⏕ 6 – ⏑

1 – ⏕ 2 – | ⏕ 3 – ⏕ 4 – ⏕ 5 – ⏕ 6 – ⏑

17[A]

et in latus ensem
Obliquat | longaque amplectitur ilia dextra
(XII, 485-486.)

⏑ 5 ⏑⏑̅ 6 – ⏑
1 – ⏑⏑̅ 2 – | ⏑⏑̅ 3 – ⏑⏑̅ 4 – ⏑⏑̅ 5 – ⏑⏑̅ 6 – ⏑

18[A]

procumbit uterque
Pronus humi | gelidoque pauens dedit oscula saxo
(I, 375-376.)

⏑⏑̅ 5 – ⏑⏑̅ 6 – ⏑
1 – ⏑⏑̅ 2 – | ⏑⏑̅ 3 ⏑⏑̅ 4 – ⏑⏑̅ 5 – ⏑⏑̅ 6 – ⏑

24[A]

tamen ille decorem
Miratur magis | et cursus facit ille decorem
(X, 589-590.)

⏑⏑̅ 5 – ⏑⏑̅ 6 – ⏑
1 ⏑⏑̅ 2 – ⏑⏑̅ | 3 – ⏑⏑̅ 4 – ⏑⏑̅ 5 – ⏑⏑̅ 6 – ⏑

quarum cum sit membrum alterum ab altero diuersum breuibus spatiis

in prima	4
secunda	3
tertia quartaque	2

exempla

primae	7
secundae	1
tertiae	41
quartae	1

si quam maxima placuisset syllabarum inaequalitas,

plura haberet exempla prima ceteris, si quam minima, et plura secunda quam prima, et totidem fere quarta quot tertia.

f) *species sexta.*

Denique haec ultima species in his uersatur membrorum continuationibus, quae etsi eam habent percussionum dispositionem uel condicionem, quae ad alia maxime genera formasque pertineat, non tamen ea mensurarum concordia et concinnitate laudantur, quae est eorum generum propria.

Nam huius 13^A^

> Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque
>
> (V, 166.)
>
> 1 – ⏕ 2 – ⏕ 3 . ⏑̄ ⏑ | 4 – ⏑ ⏑̄ 5 – ⏕ 6 – ⏑

membra, et cum eiusdem uersus hemistichiis contineantur similia sunt illorum 9^A^

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
>
> (II, 28.)
>
> 1 – ⏕ 2 – ⏕ 3 – | ⏕ 4 – ⏕ 5 – ⏕ 6 – ⏑

quae tertia in specie posuimus, neque syllabarum breuia spatia plura habet secundum, quam rhythmicae mensurae rationem unam esse hemistichiorum naturae cognatam diximus. Sunt enim partes breues membrorum nostrorum 12 et 11, illorum 9^A^ 10 et 13.

Huius autem generis particeps etiam haec est 32[A]

> [Ergo aliis] *latrasse Dymantida* | *flebile uisum est*
> (XIII, 620.)
>
> ⏑ ⏒ 3 – ⏒⏒ 4 ⏒⏒ | 5 ⏒⏒ 6 – ⏑

quae cum illa 27[A]

> qua terra patet | fera regnat Erinys
> (I, 241.)
>
> ⏒⏒ 3 – ⏑⏒ 4 – | ⏒⏒ 5 – ⏒⏒ 6 – ⏑

in tertio genere fuisset consocianda, nisi prius membrum in hac secundo breuius ab illius longiore differret.

Totum autem hoc genus ab his duabus 13[A] 32[A] pendet dispositionibus, quarum exempla ipsa rara sunt, illius 5, huius 2. Quam quidem paucitatem nemo mirabitur, siquidem syllabarum inaequalitas, ab aequalitate percussionum in his sine ulla aut extenuatione aut conciliatione, quae sunt in superioribus, discrepans, aures uehementer commouet, id autem ipsum si saepius fieret, concinnitatem illam ac uenustatem, quae sunt in mensurarum ratione, omnino non perciperemus. Itaque ab hoc discrepantiae genere abstinuisse fere Ouidium, et numerorum condicio naturaque nos praemonet, et ipsi libri demonstrant.

Neque quod pauca sunt, eo minus digna haec exempla, quae cur sint exquirantur. Nam et ea si non attenuari aut conciliari, at excusari quodam modo antea (p. 77) diximus, et quae sit in describendis rebus

excusatio posita iam ex illo tertii generis exemplo

> Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti
> (II, 33.)
>
> 1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡ | ◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

(p. 98) cognouimus.

Quod etsi est ab illa syllabarum ratione diuersum, quam et hemistichiorum natura requirere uidetur, et poetae saepissime usurpant, et nos hoc uersu describere sumus soliti

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
>
> 1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — | ◡◡ 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

quod longius est in hac perfectiore forma secundum membrum quam in illa, et hemistichiorum connexionem aptius confirmat, tamen hic noster uersus

> Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque
>
> 1 — ◡◡ 2 — ◡◡ 3 — ◡◡ | 4 — ◡◡ 5 — ◡◡ 6 — ◡

magis etiam ab hac diuersus, cum secundum membrum non solum non multo longius, sed breuius sit altero, uerum tamen hoc ipso ad ea illustranda, quae poeta expressit, accommodatior.

Scilicet dum et paulo longiore et magis etiam breuiore secundo membro, soluitur quodam modo illa, qua delectamur, hemistichiorum continuatio totiusque uersus cohaerentia, solui etiam ac debilitari significare uoluit poeta, et sibi ipsi et personis iis, quas legentibus proponeret, hanc animi facultatem quamdam, qua nu-

meros sententiasque cogitantes perpendimus ac disponibus, illam uero praeualere, qua conspectas res percipientes commouemur. Nonne autem commouentur et Sol, cum filius inexspectatus sese oculis offert

> Inde loco medius rerum nouitate pauentem
> Sol oculis iuuenem quibus adspicit omnia uidit,
> *Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti*
> Progenies Phaeton haud infitianda parenti ?
> (II, 31-34.)

et tigris, uel potius qui ferae similitudine describitur Perseus, cum imminenti hostium turbae ipse se illaturus, qua maxime parte sit impetus faciendus dubitat

> Tigris ut auditis diuersa ualle duorum
> Exstimulata fame mugitibus armentorum
> *Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque,*
> Sic dubius Perseus dextra laeuane feratur
> (V, 164-167.)

sed hic procul dubio multo uehementius, quare laxiorem Ouidius in hoc uersu membrorum uel hemistichiorum contextum fecit.

Quid quod non cum poetae solum, personarumque earum quas inducit animis, sunt numeri modique coniuncti, sed cum nostris etiam, qui uersus legimus. Quonam igitur modo nos horum uersuum numeris afficimur ? Qui cum illa perfecta hemistichia

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
> 1 – ⏔ 2 ⏔ 3 – | ⏔ 4 – ⏔ 5 – ⏔ 6 – ⏑

propter concinnitatem eorum atque frequentiam, et memoria teneamus, et inclinatione quadam consectemur, quo magis sunt ab iis alia quaedam diuersa, eo attentius haec animaduertimus, miramur, mouemur. Id autem facit et illa hemistichiorum comprehensio

> Quaeque uiae tibi causa | quid hac ait arce petisti
> 1 — ⏑⏑ 2 — ⏑⏑ 3 — ⏑ | ⏑ 4 — ⏑⏑ 5 — ⏑⏑ 6 — ⏑

cuius membra sunt aequalitati propiora, et haec etiam magis, quae prius membrum longius habet

> Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque
> 1 — ⏑⏑ 2 — ⏑⏑ 3 — ⏑⏑ | 4 — ⏑⏑ 5 — ⏑⏑ 6 — ⏑

sed hoc ipsum personis ac rebus quae describuntur conuenienter facit. Plus enim Persei periculum nos quam Solis interrogationes ad commouendos ualent.

Denique illud etiam est utrique uersu commune, quod usitatissimis incisionibus, illius trihemimere et hephthemimere, huius penthemimere poeta, non ad separanda inter se membra, sed ad illa uerba illustranda est usus, in illo *uiae, hac,* sicut antea (p. 98) diximus, in hoc *potius,* quae quamquam cum sequentibus ad conficiendam sententiam cohaerent, tamen ipsa singula maxime incertum illud atque suspensum, quod significare uoluit, legentium animis inferunt. Atque huius uersus numerorum

> Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque
> 1 — ⏑⏑ 2 — ⏑⏑ 3 — ⏑⏑ | 4 — ⏑⏑ 5 — ⏑⏑ 6 — ⏑

haec ipsa haesitatio ac dubitatio quaedam eo etiam augetur, quod incisiones duae ualidissimae, altera membrorum post illud *ruat,* altera uersus in penthemimere, proximae sunt inter se et quasi continuae, quarum utram longiore interspirationis mora insigniorem facias, neque diiudicare possis, neque si posse uideare liceat.

Itaque ut rerum illustrandarum necessitate, uel potius iucunditate, excusatur in hoc uersu haec syllabarum percussionumque diuersitas, ita et in illo

Illa breui spatio silet | et dubitare uidetur
(VII, 307.)

1 – ⏑⏑ 2 – ⏑⏑ 3 – ⏑⏑ | 4 – ⏑⏑ 5 – ⏑⏑ 6 – ⏑

qui cum sit huic simillimus, post hunc nominari, non explicari debet.

At non ceteri uersus, e quibus sextum hoc genus constituimus, eodem modo possunt excusari. Quibus quamquam mensurarum discrepantia neque excusatur, neque obscuratur quidem aut conciliatur, non est tamen aut conciliatio aut obscuratio aut excusatio, in quibus omnem mensurarum rationem posuimus, neque mutando aliquid neque addendo corrigenda, sed illi uersus neglegendi et paene silentio praetermittendi, ut e quibus numeri modique non apte cognosci et diiudicari possint.

Etenim seu uerbum aliquod a Latino sermone metroque alienum, ut in hoc uersu

Ergo aliis] *latrasse Dymantida* | *flebile uisum est*
(XIII, 620.)

◡◡ ³— ◡◡ ⁴— ◡◡ | ⁵— ◡◡ ⁶— ◡

seu ipsa pangendi carminis celeritas obstabat, quod et in hoc

Instabilesque imas facit | et dat posse moueri
(XI, 177.)

¹— ◡◡ ²— ◡◡ ³— ◡◡ | ⁴— ◡◡ ⁵— ◡◡ ⁶— ◡

et in aliis quibusdam non numerorum tantum dispositione, sed uerborum etiam collocatione atque rerum inuentione considerata, si uacaret, demonstraremus, hos quidem Ouidium non pro solida facilitate uenustateque composuisse credas. Quod si poetae nulla datur uenia, et scimus exsulanti tempus ad perpoliendos Metamorphoseon libros defuisse, nobis detur, ne horum uersuum in inuestigandis numeris modisque rationem habeamus.

CAPVT 2

DE GENERE EXEMPLORVM ALTERO

Hoc genus iis contineri membris diximus, in quibus par inest syllabarum breuiumque spatiorum, non percussionum quidem numerus. De quibus quam paucissimis ut disseramus, multa nos admonent.

Etenim in priore huius libelli parte, cum quales essent mensurarum discrepantiae, potius quam cur fierent explicaremus, multo rarius hoc inueniri discidii genus altero probauimus. Comprehensiones enim id habent 3 dumtaxat, uersus 10, alterum uero illud in percussionum pari, syllabarum dispari numero positum, continuationes membrorum 49, quarum unam, quam 9^A uocauimus

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
>
> (II, 28.)
>
> 1 – ◡◡ 2 – ◡◡ 3 – | ◡◡ 4 – ◡◡ 5 – ◡◡ 6 – ◡

Ouidius in uersibus usurpauit 548. Cur autem ita pauca sint huius modi membra, id ipsum iam est antea (p. 67 et sqq.) cognitum, cum abhorrere ea maxime ab hexametri legibus numerisque demonstrauerimus.

Verum non plus in exquirendis causis hoc genus, quam in exemplis colligendis, affert obseruantibus documenti. Nullis enim aliis sunt rationibus mensurae in hoc inter se coniunctae, quam quae illius prioris fuerant. Nam et extenuatur obscuraturque angusta quadam membrorum connexione percussionum syllabarumque diuersitas in his

> [pudetque
> Et cupit] *et quid agat* | *non inuenit*
> (X, 371-372.)
> 2— ⏖ 3— | ⏖ 4— ⏖

eodem prorsus modo quo in illis

> discede | precor
> ⏖ 3— ⏑ | ⏑ 4—

de quibus (p. 85 et sqq.) disseruimus, et rerum illustrandarum necessitas excusat hunc uersum

> *Quod uidet haec lucem* | *quod non ego punior* [ecce
> Consilium munusque tuum est]
> (IX, 779-780.)
> 1 ⏖ 2— ⏖ 3— | ⏖ 4— ⏖ 5— ⏖

non minus quam illum supra (p. 108 et sqq.) descriptum

> Nescit utro potius ruat | et ruere ardet utroque
> (V, 166.)
> 1— ⏑ ⏑ 2— ⏖ 3— ⏖ | 4— ⏑ ⏑ 5— ⏖ 6— ⏑

Conciliantur uero mensurae discrepantes, quod qui-

dem ad exemplorum uenustatem frequentiamque interest maxime, in nullis huius generis uersibus. Quod ne mireris, et concordiam illam ab ea, quam aequalitatis condicionem (p. 93) diximus, pendere, siue cum hemistichiis aequales membrorum impressiones congruerent hoc modo

> Stabat nuda Æstas | et spicea serta gerebat
> (II, 28.)
>
> 1 . ⏑⏑ 2 – ⏑⏑ 3 – | ⏑⏑ 4 – ⏑⏑ 5 – ⏑⏑ 6 – ⏑

siue ab iis uolente poeta dissiderent ut

> *procumbit uterque*
> *Pronus humi* | gelidoque pauens dedit oscula saxo
> (I, 375-376.)
>
> ⏑⏑ 5 . ⏑⏑ 6 – ⏑
>
> 1 ⏑⏑ 2 –

et percussiones cum hemistichiis uersibusque aliquid rationis ac uicinitatis habere posse, syllabas non posse, syllabarum percussionum hemistichiorum uersuumque natura demonstrat.

PARS IV

CONCLVSIO

Sed ne diutius legentibus in his acutis numerorum metrorumque perpendendorum spinis sit commorandum, quae maxime in superioribus illustrare uoluimus, nunc paucissimis uerbis repetentes peroremus. Quorum alterum ad uniuersam numerorum rationem, alterum ad ipsius hexametri modum metrumque pertinet.

Nam cum sint in omnibus uersibus numerorum genera duo, alterum in syllabis, quae sunt orationis cuiusuis, alterum in percussionibus, quae sunt propriae uersuum, positum, eorum quamquam alterum ab altero separatim obseruamus et aestimamus, iis tamen in membris collidi quodam modo inter se atque discrepare sentimus, quae aut parem percussionum, non autem syllabarum breuiumque partium, aut parem syllabarum, non autem percussionum habent numerum. Quod ne aures offenderet, ars Ouidi aliorumque in heroo quidem uersu eximia consuluit, qua huius modi discrepantias aut fregerunt et exte-

nuauerunt, aut etiam in plurimis uersibus ab offensione in uenustatem concinnitatemque traduxerunt.

Huic autem rei est earum ratio subiecta, quae caesurae uocantur. E quibus quod incisiones post tertium et secundum quartumque ictum positas, et plurimum ualere in hexametro, et maxime frequentari diximus, quid tritius ac peruagatius? Sed cur et tantum ualeant et totiens sint frequentatae, nullae enim magis aptum teretemque uersum efficiunt, id ipsum cum non adhuc satis explicatum esse crederemus, nos aut demonstrauimus aut demonstrare sumus conati. Quo utinam possit nobis ignosci, quod post tot tamque doctos uiros haec de uersu Latinorum hexametro scripsimus.

INDEX

Vu

le 9 juillet 1910 :

Le Doyen de la Faculté des Lettres

de l'Université de Paris,

A. CROISET.

Vu

ET PERMIS D'IMPRIMER :

Le Vice-Recteur de l'Académie de Paris,

L. LIARD.

CHARTRES. — IMPRIMERIE DURAND, RUE FULBERT.